Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

421 DA BOX

No 839.



M. Tuscher fecit

BIBLIOTHECA
REGIA
HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

Orationes duæ,

ALTERA DE OBSERVANDO Chriſti die,

ALTERA DE MORTE ARCANA.

Quæ, cùm honeſti, doctiq; adoleſcentes aliquot prima Philoſophiæ laurea donarentur, in Academia Hafnienſi publicè recitatæ ſunt

à

IOHANNE SASCERIDE tunc ibi Decanum agente.

Quibus auctarij loco, tertia quoq; de myſterio trium Patriarcharum acceſsit.

Matth. 25.

Media nocte clamor factus eſt: Ecce, Sponſus venit, exite obuiam ei.

VITEBERGAE

Excudebant hæredes Johannis Cratonis, Anno 1585.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

BIBLIOTHECA
REGIA
HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

GENEROSO, MAGNIFICOQVE HEROI, STEMMATIS ANTIQVI CLARITATE, SCIentiaq́; & virtute præſtanti D. Nicolao Kaas de Torup. ſereniſsimi Danorum Regis, Friderici II. Cancellario, & Conſiliario prudentiſsimo, Domino ſuo reuerenter obſeruando ſalutem in Chriſto precatur Iohannes Saſcerides.

QVANDO QVIDEM, Generoſe magnificeq́; vir, huius Academiæ (quæ potiſsimum in eum fundata finem eſt, vt Chriſti Domini, Seruatorisq́; noſtri gloriam, ac Regnum æternum inter harum regionum incolas promoueat, atq; illuſtret) primarius es conſeruator, ad quem in quauis noſtra neceſsitate, poſt Deum, ac ſereniſs. Regem confugimus, nihil alieni me facturum eſſe puto, ſi de ſcholaſticis noſtris exercitijs aliqua Magnificentiæ tuæ communicauero. Siquidem ei, quem ſæpiùs inquirendo conſilio & auxilio, moleſtamus, imprimis etiam ſtudia noſtra maximè quibus Eccleſiam ornare, veramq́; pietatem illuſtrare, pro noſtra imbecillitate conamur, velut ſignum qualecunq; debitæ gratitudinis declarare nos, iuſtum eſt. Cum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

itaq; duas orationes, quarum prior quidem nunc inſtare glorioſum Chriſti diem, non obſcurè docet, altera verò monſtrat viam proximam, qua noſmet ad eam præparare, venientiq; ſponſo velut obuiam ire debeamus (ne de tertia quicquam dicam hoc loco) partim nuper, partim & ante paucos annos in promotionibus honeſtorum aliquot adoleſcentum pro more Scholæ, publicè recitauerim, adeoq; et ſemper otioſas eas apud me deliteſcere nolens, Mæcenatem inquiſiuerim, ſub cuius patrocinio fœliciùs ac tutiùs exirent, ſanè tibi neminem anteponere iure potui, ſiue reſpicerem ad ſublime tuum iſtud munus, ex quo nos imprimis tibi, velut Academiæ Conſeruatori, ſumus obligati, nullamq; non debemus honoris exhibitionem: ſiue magis intuerer naturæ tuæ facilitatem, clementiamq; & humanitatem ab omnibus vbiq; iam pridem decantatam: Hæc enim animum nobis addunt, & ſpem præbent, quòd clientelam nullius temerè ſis aſpernaturus. Nec parum huc nos incitat etiam illa paſſim haud immerito celebrata ſapientia tua, qua pleraq; Regni huius ampliſſimi negotia tuis velut humeris impoſita, ſub ſereniſſ. Regia maieſtate

ſuſti-

ſuſtines, ac Deo dante ſucceſſum, feliciter ad Reipub. conſeruationem, & ornamentum, ad pacem videlicet, ac tranquillitatem, vt ad optimum tibi propoſitum finem perducis. Hinc enim ratiocinamur, etiam de ſcriptis oblatis dextrè te iudicaturum, adeoq; triticum verum cum palea collatum & ſagaciter agniturum, & fideliter, ſpreto Sycophantæ morſu, comprobaturum eſſe. Quapropter obnixè quoq; te rogamus, ne munuſculum hoc noſtrum auerſeris. Quanquam enim exiguum eſt, & amplitudini tuæ minimè reſpondet, vt tamen, qui parua non reſpuit, ad elicienda maiora ſtruit ſibi viam, ſic ego profectò, ſi non ingratum eſſe tibi tenue noſtrum hoc officiolum intellexero, Deo vitam & gratiam largiente, nequaquam omittam, quin aliquando longè maioribus huius generis donis (quorum haud pauca proximis his annis in otio, Dei beneficio, collegi) magnificentiam tuam ornare progrediar. Interim orabo Deum, vt longo tempore tibi, ſine peccato, vitam ſeruet incolumem: & vt labores, conſiliaq; & actiones tuas omnes cùm ad æternam ſui no-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

minis gloriam, hominumq́; plurimorum ſalutem, tum ad Regni quoq; totius huius decus, ac tranquillitatem, fauore erga te paterno propter filium ſuum, Dominum ac Seruatorem noſtrum IESVM CHRISTVM, dirigere dignetur. Amen.

Datum Hafniæ, die 27. Augusti, Anno
1584.

CARMEN

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

CARMEN SAPPHICVM
AD PIVM LECTOREM.

VNus vt cœtu Deus â fideli
Creditur ſolus meritò colendus,
De Dijs quenquam neq; iungere illi
Fas alienis:

Sic reuelari tamen ipſe trinus
Per ſacros nobis voluit libellos,
Vt pater, Natusq́; niteret, atq;
Spiritus almus.

Vnde dilectæ quoq; rite Sponſæ
Longo in hoc æuo generis caduci
Tres dies feſtos quaſi de ſuepte
Numine ſanxit.

E quibus primo Genitor, ſecundo
Filius reddi potuit celebris,
Tertium ſanctus celebrabit alto
Spiritus ore.

Primùm enim pacti veteris diebus,
Vt recens aſſumptam, ope pædagogi,
Virginem ornaret, pater in ſeuera.
Lege micabat.

Nubilem poſtquam dein eſſe factam
Filius vidit, velut igne amoris
Illius flagrans, ad eam nouo cum
Fœdere venit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

Et, rudi Sponſæ magis vt placeret,
Eius induta ſibi carne (mirum)
Seruus eſt viſus, proprio & redemit
Sanguine captam.
Nec minus victor necis hinc per annos
Mille quingentos ita liberatam.
Et ſuo dictam, placitis in hortis,
Nomine pauit.
Aſt vbi tandem veniet ſupremum
Tempus vt iam, quæ cecinère vates,
Percipi rectè, fieriq́ tandem
Omnia poßint,
Ecce, clarebit rutilante lingua
Spiritus ſanctus, facietq́ & ipſe
Tum Diem feſtum, celebremq́ miro
Lumine ſanctis.
Quippe ijs carnem premet vniuerſam,
Et merum doctis faciet placere
Spiritum nudi, faciemq́ Chriſti
viuificantem.
Ille ſanabit putrefacta tandem
Vulnera, adducta cupidis medela
Cordibus, vinctisq́, iter ad beatum
Pectora ſoluet.
Hæc dies ergo, pie Lector, inſtans,
Nempe quam noſtro citò ſanctus æuo
Spiritus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

Spiritus promet, tibi nunc petenda
Nocte, dieq́; eſt:
Vt Deo cultum exhibeas placentem
Vnicè, poſtquam iuuenili ab æuo
Lumen auertit, reprobatq́; ritus
Ille priores:
Vultq́;, tantùm vt mente ſuum fideli,
Spirituq́; æterna videns, adores
Nunc patrem, verè & ſapiens, & abſq;
Fraude maligna.
Sic breui fies etiam beatus,
Cumq́; peccato mala quæq; tandem
Corporis, mentisq́; tibi videbis
Interijſſe.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

ORATIO I. DE OBSERVANDO CHRISTI DIE, QVAE RECItata eſt anno 1584. die 14. Aprilis.

ECCE QVAM BOnum, inquit Pſalmographus, & quàm iucundum eſt, habitare fratres coniunctim, pronè fieri docturus, in conuentibus piorum vt balſamum ſancti Spiritus, & amabilis illę gratiæ diuinæ ros omnibus non duris aut maleuolis, at ſitientibus, eſurientibusq́; iuſticiam è ſupernis affluat. Quoniam itaq; clariſsimi viri, ſtudioſiq́; auditores ex honeſta maiorum conſuetudine coram hoc pulcherrimo cœtu nobis hodie dicendi quædam imponitur neceſsitas, recuſare nos quidem iniunctum officium vt nequimus, ita neutiquam etiam volumus: ſed multo magis humiliter implorato prius auxilio diuino, ſummoperè laborandum nobis exiſtimamus, vt quod, orationis loco, proponemus, veſtris doctiſsimis

auribus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

auribus dignum, & quàm plurimis vtile cenſeri queat.

Vtilius autem hic præſentibus, quemadmodum cogitanti mihi venit in mentem, nihil eſſe poſſe video, quàm ſi breuem instituero commonefactionem de hoc præſenti tempore, quam id obſeruatu ſit neceſſarium quantaq; vel bona cognoſcentibus vel mala negligentibus, & ſine fructu dimittentibus idem adducere properet. Nam ſi tot millia quondam Iſraëlitarum, qui legem per Moſen latam animo parũ fideli receperant, in deſerto miſeris modis interierunt: Si poſtea quoq; tota gens, ob doctrinæ propheticæ maximè contemptum, per horrendam iram Dei. Patrijs abigi de ſedibus, & in longinquas terras exul deportari debuit: Si deniq; Chriſtus etiam ipſe, poſtquàm in carne ſe patefecerat, Iudæis illud immane ſuum prædixit excidium non aliam ob cauſam, quam quod hoc ſuæ viſitationis tempus haud agnouiſſent nec alacriter, fideliterq; eſſent amplexi: quid cenſebimus euenturum iam ijs, qui terribilem, & glorioſam illam Chriſti Seruatoris apparitionem nunc, iuxta Scripturas omnes inſtantem, & reuelandam alijs intenti curis,

animo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

animo ritè præparato non agnouerint, adeoq́ue & acceptare neglexerint?

Vt enim, qui lucem à ſe repellunt, ij mox in tenebris omninò relinquantur neceſſe eſt; ita fieri prorſus nequit aliter, quàm vt in horrenda mala, triſtiſſimamq́ue & cæcitatem, & perturbationem animi delabantur omnes, qui clauſis oculis præterierint, & maturè ſatis haud agnouerint, digneq́ue etiam, ſemotis omnibus curis βιωτικαῖς, iuxta Domini conſilium, non expectauerint hunc lætiſſimum Chriſti diem, qui fidelibus omnibus erit mera lux, & beatitudo nunquam finienda. Certè temporis obſeruatio paſſim nobis in Scriptura ſatis apertè commendatur, non tantùm apud Prophetas, vt cum dicitur, Iere. 8. Ciconia, ſeu miluus in cœlo cognoſcit tempus aduentus ſui. Itē: Turtur, & Hirundo, & grus cuſtodiunt tempus aduentus ſui, populus autem meus non intellexit iudicium Domini. Sed et apud Euangeliſtas, cùm ipſe Dominus, Matth. 16. & Luc. 12. clarè Phariſæos his verbis obiurgat: Hypocritæ faciem cœli, ac terræ dijudicare poteſtis, hoc autem tempus quomodò non dijudicatis: quapropter vt inſeruiamus tempori, Paulus

etiam

etiam Rom. 12. nos inter alia monet. De hoc autem nouiſſimo tempore Chriſtus verbis admodum inſignibus loquitur Luc. 21 & alibi: cum (inquiens) hæc ſigna fieri videritis, leuate capita veſtra, quoniam appropinquat Redemptio veſtra.

Porrò quòd amabilis hic Domini dies nunc omnino ſit præ foribus, velitq́ ſeriò Deus, vt aſſiduè iam ad eum velut exorientem, vel ortui certè vicinum, capita ſimul & animos noſtros cum certa ſpe, læticiaq́ attollamus, conuincunt apertè tot ſigna, tot prodigia, monſtraq́ omnis generis, quæ partim in ætherea regione, partim in elementis, & in ipſa quoq́ terra nuſquam non, ferè quotidie palàm aut ipſi videmus, aut ab alijs viſa perſcriptaq́ legimus. Nos tamen, his recitandis prolixè, tempus inſumere nolumus, at paucula tantùm inſignia Dei miracula, quæ nota ſunt omnibus & ſimul à ſtudijs liberalibus non abhorrent paucis hîc, auxiliante Deo, vobis in memoriam reuocare ſtudebimus: precamur interim, vt aures & animos præbere nobis velitis attentos.

Primùm quis ignorare poteſt illam nouam immenſæ magnitudinis, & omnibus

conſpi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

conſpicuam in cœlo factam ſtellam, quam Deus omnipotens ante annos ab hinc ferè duodecim, nimirum anno 27. ſubitò, profectò non citra maximæ rei ſignificationem, intra caſſiopææ ſtellas, in cœlo ſidereo collocauit, atq; apparere fecit. Neq; enim cometa (quales in elementari regione tantum, ſecundum peripateticos, exardere ſolent) illa fuit, vt firmiſſimis argumentis demonſtrant Mathematici doctiores: quoniam & nullam hæc in motu ſuo paralaxim, ſeu variationem intuentium oculis more cometarum, exhibebat, neq; vel cauda, vel crinibus, vllòue alio cometarum habitu cuiquàm terribilis erat, ſed gratioſo prorſus colore ſuo, rutilanteq; luce, qua ſtellas alias omnes longè ſuperabat, admodum apparebat amabilis: immò non ſtellis fixis modò, ſed & planetis omnibus, ipſoq; inter eos Ioue, fermeq; etiam Venere, maior & illuſtrior, initiò ſaltem conſpiciebatur.

Quarè, cùm & longè ſupra Solem axaltata eſſet, & nihilominus tantam nobis exhiberet magnitudinem, facilè colligunt aſtronomi, quod mole ſua vaſtum hunc terræ totius, vna cùm aquis globum centies ferè ſuperauerit: ò profuſam Dei bonitatem: ò largas

conditor

conditoris noſtri diuitias, qui noſtram in commonefactionem facem tam immenſæ molis accenderit, & lucidum corpus tot vicibus orbe toto maius (quòd poſteà tamen, velut officio ſuo perfunctum, rurſus euaneſceret) illic totius anni ſpacio lucere voluerit: Quis hoc abſq; magna prodigij ſpecie factum eſſe dixerit?

De Deo certè verè ſcriptum eſt, quòd ſeptimo Die, poſt rerum omnium creationem, quieuerit, & ceſſauerit à ſuis operibus: ne temerè ſcilicet, aut ſine graui cauſa, noui quicquam amplius conderet: non tamen quòd eam (creandi videlicet res, quas vellet) aut poteſtatem, aut libertatem, vlterius tunc haud obtinuerit: ſed, vt dixi, ne, citra miraculi rationem, aliquid poſteà noui produceret. Quarè, tanquam ingens Dei miraculum, & certum Chriſti venturi præſagium animo ſemper & nunc illam ſtellam intueri, celebrareq́; inter homines meritò debemus: quoniam &, poſt rerum creationem initio mundi factam, ſimile ferè nihil vnquam auditum eſt. Quòd enim de Hipparcho ſcribit plinius tanti nequaquam fuiſſe videtur, quandoquidem hanc nouam ſtellam non vnius quiſpiam è cætu do-

ctorum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

ctorum, ſicut illam de qua Plinius, lib. 2. cap. 26. loquitur, ſolus Hipparchus obſeruauit: ſed omnes omnium gentium homines in orbe Chriſtiano, docti pariter & indocti, ſublatis in cœlum oculis, hanc ibi nouo modo radiantem & videre facilè potuerunt, & admirari coacti ſunt.

Occupabat autem ipſa locum cœli ſeptentrionalem potius, quàm auſtralem, quoniam Eccleſiæ ſuæ (quæ magis his temporibus adhanc mundi plagam conceßit) eam Deus inſeruire voluit: & locum ei tribuendum exiſtimauit, vbi nunquam in circumuolutione ſua terram attingeret, nedum à terra, tanquàm occidens. nocte dieúe abſconderetur, neue vllo tempore, quo ſtellæ cæteræ conſpiciebantur, ſaltem nos per Europam & Aſiam borealem habitantes, eius conſpectu priuaremur: tàm apertis, ecce, ſignis oſtendere, Deo placuit, quòd nobis in ea producenda gratificaretur, nosq́; per illam, ad arcanā expectandam inquirendamq́; Lucem, à facie venientis Chriſti radiantem excitare ſtuderet. Quòd niſi fecerimus, hæc lux nobis haud citra triſtē iræ diuinæ ſenſum, inæternum vtpote noſtrum exitium (quod benignè

Deus

Deus auertat) è conſpectu tolletur, quemadmodum & illa miranda ſtella cum rubeo quodam, liuidoq́ colore tandem imminuebatur, & videri deſinebat. At, ſi propter quòd à Deo fuit accenſa, fideliter effécerimus, Chriſtiq́ Spiritum, & veritatem æternam ardenter amare iam, & inquirere ſerio voluerimus, en tum velut ingens, & amabilis admodum fax, vt in cœlis illa, ſic in animis noſtris iugiter hæc lux radiare, Dei gratia, reperietur.

Verum his de noua ſtella, quam ſemper ante oculos verſari pijs admodũ cupio, breuiſſimè, dictis adijciamus etiã nunc pauca de celeberrima ſuperiorum planetarum, in fine trigoni aquei coniunctione, quæ fuit anno præcedente nempe milleſimo, quingenteſimo octuageſimo tertio, circa finem Aprilis, totaq́ hac propemodum hyeme, veſpertinis temporibus, à peritis omnibus haud exigua cum voluptate conſpici potuit. Siquidem in hac cœli parte, nimirum in extremis piſcium, adeoq́ & Zodiaci totius gradibus, illa Iouis & Saturni coniunctio plurimi fit ab eruditis Mathematicis, & admodum rarò fit, nempe vix ſemel octingenteſimo, vel ſaltem ſeptingen-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

ceſimo nonageſimo ſecundo quoq; anno: Quin & quoties facta fuit, aliquid maximi momenti ſemper eam in Eccleſia ſecutum eſſe deprehenditur. Hinc ſcribunt Cyprianus Leonitius, & alij, poſt natiuitatem, vel certè pueritiam Chriſti Seruatoris noſtri, tantùm ſemel hanc Planetarum eorundem coniunctionem in eo loco cœli factam eſſe, decennio ſcilicet, Antequam Carolus Magnus, Franciæ Rex, à Papa, Leone tertio, Romanus Imperator proclamatus eſt: Ex quo tempore ſedes etiam, & potentia pontificia mirum in modum creſcere paulatim, & vera pietas obſcurari cœpit.

Quin & ſi placuerit vlteriùs retrorſum, ad mundi principium reſpicere, iuxta tempus elapſum & à Caroli Magni temporibus ad hanc noſtram ætatem, & à Natiuitate Seruatoris ad annum decimum ante Imperium Caroli, reperiemus, inter has coniunctiones tantùm, quantùm diximus, eſſe temporis interuallum, annos videlicet 792. Et ſic ex Chronologijs mundi firmiter colligi poteſt ante noſtrum hoc ſæculum, vſq; ab initio mundi, fuiſſe tantum ſex huiuſmodi ſuperiorum Planetarum in fine Zodiaci coniunctiones:

nes:

nes: quarum prima ſic contigit anno mundi 792. ſicut ex poſterioribus temporibus colligi videtur, incidit prorſus in ætatem S. Henochi, quando is ambulans cum Deo, veraq́ pietate mirè lucens, doctrinam planè diuinam, & efficacem vel iam prædicabat, vel Paulo pòſt certè prædicaturus erat. Secunda poſt annos totidem extitit nimirum anno mundi 1584. Cum Noachus iram Dei contumacibus prædicabat, annis videlicet 72. ante diluuium. Tertia facta eſt anno 2376. Cùm Iſraëlitæ maximè premebantur à crudelibus Pharaonibus in Aegypto, Moſe iam biennium, vel triennium certè nato, qui grandis poſteà factus, eos etiam diuinitus liberatos, ad glorioſam peculiaris Deo populi conſtitutionem, eduxit.

Quarta contigit anno mundi 3168. paulo antè, quàm Samaria, regnumq́ decem tribuum ab Aſſyrio rege Salmanaſſar euerſum fuit, atq́ adeo Prophetæ plerió tum cladem hanc ijs prædicebant, regnante in Iſrael Pekach filio Remaliæ, et in Iuda Achaz Rothami filio. Quinta Planetarum horum in extremitatibus aquei trigoni coniunctio fuit, ut Leouitius ait, ſex annis ante Chriſti na-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

tiuitatem : vel vt exactior ſupputatio Chronologiarum oſtendere, mihi quidem non, tamen ſatis fateor, mathematicarum legum perito, videtur), eo duos, vel tres annos nato, creſcenteq́ iam ad Euangelij ſui de nouo Teſtamento prædicationem, anno ſcilicet mundi 3960. Hinc ſexta fuit illa, quàm Caroli Magni temporibus accidiſſe, modò diximus. Poſt quàm & proximè ſeptimo loco ſecuta eſt hæc, de qua nunc iterum oculis noſtris exhibita commonendos eſſe vos, exiſtimaui : quia ſicuti præmiſſas omnes, ita dubium non eſt, quin & hanc certo certius admirandum Dei noſtri quoddam opus paulò pòſt inſecuturum ſit.

Eſt autem & hoc nobis diligenter, ni fallor, conſiderandum, quòd inter has coniunctiones, eæ quæ ſunt imparis numeri, nempe prima, tertia, quinta, &c. Bonum ingens Eccleſiæ prænunciarint : Sicuti quæ ſecutæ ſunt has numero pari, ſecunda videlicet, quartaq́, & ſexta, bonũ præmiſſum ingratis, non ſine calamitate rurſus auferendum eſſe, præmonuerunt. Vt enim Henochi doctrinam, quam prima coniunctionum harum præceſſit, ſecurè tranſgredientes homines in primo mundo

diluui-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

diluuium, ſecunda præmiſſa, perdidit: ita politiam Iſraëlis, quàm conſtituendam tertia ſignificauit, quarta rurſus deſtruendam prædixit: Quemadmodum & Chriſti doctrina poſt quintam earundem reuelata, poſt ſextam ambitione paparum obſcurari cœpit.

Atq; ex his etiam de hac ſeptima, nobis iam exhibita, certiores aliquo modo reddimur, quid ſentiendum, & boni quanti nobis ea prænuncia ſit: quia profectò ſeptenarius numerus vt non impar modo, ſed & Sabbathi ſancti paſſim in Scriptura typus eſt, ita, quantum ad arcanam ſignificationem eius attinet, omnes ferè cæteros numeros procul excellit; vt beatiſſimum & conſummatum Chriſti Regnum in hac ſeptima planetarum horum reuolutione prænunciatum eſſe, nullus ambigere queat: non minus quàm in illa, de qua diximus modo, noua ſtella: præſertim cùm & ea coniunctionis huius prodroma quædam, & ceu præcurſatrix fuerit, hancq; appropinquantem ſua miranda luce quaſi commendauerit, ac diligenter nobis obſeruandam eſſe, præmonuerit: quandoquidem etiã quo ad aſcenſionem rectam propè eodem in loco velut amabiliter inter ſe conſpirantes, extiterunt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

Vt enim illa verſus principium arietis fixa conſiſtebat, ſic hi ſuperiores duo Planetæ coniuncti quidem anno proximo fuerunt in vltimis piſcium gradibus: at inde mox ad ſtellæ præmiſſæ locum, hoc eſt, ad principium arietis, pariter acceſſerunt, & nunc ibi non ipſi ſoli verſantur, ſed & reliquos omnes ferè planetas apud ſe velut hoſpitio ſuſceptos, & ſibi coniunctos, quaſiq́; de abſoluta periodo gratulantes & fauſta precantes, aliquandiu viderunt. Sed hæc Mathematica, tanquàm ad forum noſtrum parûm ſpectantia, prolixius ne proſequamur: verùm ad ea tranſeamus, quæ ſacra Scriptura nobis admodum amabiliter in eandem ſententiam commendat.

Ac primùm hîc inſpiciamus propoſitam nobis in Aurora ſimilitudinem, quæ ſanè cùm exoritur, certiſsimè diem appropinquare nunciat. Dies autem ferè nuſquàm non in Scripturis appellatur hic poſterior, & glorioſus Domini, quem nunc expectamus, aduentus: vt cùm ait Apoſtolus: Dies domini manifeſtabit, &c. Quapropter illum etiam, non minus, quàm alios quoſuis dies, Aurora quædam præcedat neceſſe eſt, cùm & venturum,

&

& exoriturum eum prophetæ celebrent: quod inter alios Malachias quoq; ſatis apertè facit his verbis: Exorietur, inquiens, vobis timentibus nomen meum Sol iuſticiæ. & ſanitas in pennis, hoc eſt, in radijs, luceúe eius, & exibitis, & ſalietis velut vituli ſaginati, & concalcabitis impios, quia puluis erunt ſub plantis pedum veſtrorum in die, quem ego facio, dicit Dominus exercituum, &c

Si itaq; dies hic orietur, vel illuceſcet aliquando, non vtiq; fieri poteſt id aliter, quàm per quandam auroram, ſeu diluculum, in quo de tenebris paulatim Eccleſia tranſeat ad lucem. Illuxit autem hæc aurora, poſt regnum Antichriſti conſtitutum in Eccleſia, primùm cùm eius tyrannis, & malitia reuelari, cognoſciq; & refutari cœpit: quia tum demum pij ſaltem aliquam velut à nocte denſiſſima liberationem obuenire ſibi paulatim viderunt: Atq; id ſi factum eſſe nunc ſcimus omnes, vtiq; diei huius aurora nunc etiam quodamodò nobis illuceſcere cœpit. Et lux hæc licet initiò vaidè tenuis, dubiaq; & obſcura ſit, extingui tamen rurſus haud poteſt, immò ne minui quidem poteſt, ſed omnino creſcere paulatim

latim debebit, donec plenum tandem diem, ipſumq́; iuſticiæ Solem fidelibus exortum in conſpectum proferat. Auroram enim nec nubes, nec vllæ creaturæ ſic impedire queunt, vt non paulatim in diem excreſcat.

Hinc Sponſus apud Salomonem Eccleſiam ſuam ita paulatim illuſtrari cœptam admiratur ſummopere: *Quæ (inquiens) eſt iſta, quæ progreditur, ſicut aurora*, q. d. vt ad æthernæ fœlicitatis diem omnino perueniat? Non aliter & Hoſeas Propheta, cap. 6. de ipſo Domino loquitur his verbis: *Viuificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius, velut aurora, ſeu diluculum confirmatus eſt egreſſus eius*, nimirùm, vt à nemine ſit impediendus, quo minùs amabilem illum Eccleſiæ ſuæ diem adducat.

Sed quid eſt, quòd ibidem Hoſeas non vnius tantùm, ſed trium dierum operoſe mentionem facit, aitq́; nos, poſt biduum, in tertio demum die quodam eſſe viuificandos? qui nam ſunt hi tres dies, & quare tertiò demum à Domino viuificandi pronunciamur? Vt hunc inſignem locum aliquanto liberiùs explicemus, initiò ſciendũ, eum non inconcinne qui-

nè quidem ad Chriſtum, per Anagogā quandam accommodari poſſe, quòd ipſe tertio demum à paſſione ſua die victoriam de morte nobis in excitato ſe reportarit: nam à corpore frequens, in ſcripturis huiuſmodi tranſitus ad caput, ſicut & à capite ad corpus eſt: Sed tamen, cùm vt alia pleraq; Domini facta, ſic paſſio quoq; eius, & Reſurrectio diuinitus ita geſta ſint, vt aliquid in Eccleſia poſtea complendum prædelinearent, ſimpliciùs fore iudico, ſi primario ſenſu textum hunc propheticum de ſanctis in Eccleſia, ſicut apertè ſonat is explicuerimus, quòd videlicet ij poſt duos (veteris teſtamenti nouiq́; inchoati) dies, in tertio demùm quodam h. conſumationis die verè perfecteq́; viuificandi ſint: Quia totum Eccleſiæ tempus à lapſu primorum parentum, ad finem vſque ſæculorum, in tres, iuxta Prophetiam hanc, dies, & in totidem præmiſſas his noctes, earumq́; dilucula concinnè diuidi poteſt.

Siquidem prima quaſi brumalis, longaq́; admodùm Eccleſiæ nox fuit ab Adam vſq; ad Abrahæ, cæterorumq́; Patriarcharum ſæculū, quibus Deus clarius aliquanto ſe, quàm prioribus, patefaciens, diei ſecuturæ tanquam au-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

rorem, & gallicinium quoddam attulit: at Moſis demum vel Ioſue tempore Solem poſteris eorum exoriri fecit. Cùm enim in Monte Synai legem acceperunt, & certum habitandi locum in terra Canaan obtinuerunt, clare dies primus eis affulſit: quanquam dies vt dixi, quaſi brumalis, atq; obſcurior: quoniam adhuc & in vmbris vetuſtis, & in externis fere bonis tantùm is conſiſtebat. Huius primi diei meridiem reges, Dauid & Salomon, conſtituebant: crepuſculum autem veſpertinum ſequentium regum impietas, & idolatria multiplex accelerabat: Vnde cum decem tribus in exilium ſine ſpe liberationis per Salmanaſſarem deportatæ ſunt, vt in perpetuum eiusdem cum alijs gentibus eſſent conditionis illius diei Sol occubuit, & iterum electum Dei populum admodum tenebroſa nox inuaſit. Quanquam enim duarum tribuum Iudæ ſcilicet & Beniamin reliquiæ quædam in terram ſuam à Deo reductæ ſunt, in alterius exoriturę Diei ſpem, tamen & illis tùm Lucerna potius nocturna, quàm clara dies fuit quia deinceps ferè perpetuò ſub Perſis primùm, ac deinde ſub Græcis, atq; vltimo tempore ſub Romanis etiam, velut in ſeruitutem

redacti,

redacti vixerunt, nec illorũ iugum in vniuerſum, quanquã ſæpe, magno ſuo cum damno, rebellarunt, rurſus vnquã excutere potuerunt.

Atq; hæc etiam ſecunda nox in Auroram emicuit, cùm Chriſtũ in carne natum Simeon & Anna prophetiſſa, Magiq́; ex Oriente profecti, ne dicam, & ipſa Maria, Domini mater, Eliſabeth, & Zacharias, confeſsione ſua celebrarunt. Et maximè, cùm Iohannes in eius nomine prædicare pœnitentiam, & baptizare cœpit: At, vbi Chriſtus ipſe manifeſtè prædicauit, & præcipuè, cum deuicta morte, cœloq́; conſcenſo Spiritum ſanctum die Pentecoſtes effudit in Apoſtolos, vt hi palàm doctrinam ipſius omnibus gentibus annunciarent, Sol iterum ad nouum huic nocti ſubſtituendum diem, exortus eſt. Atq; huius meridies fuit ſub doctoribus, Athanaſio, Baſilio, Nazianzeno, Hieronymo, Ambroſio, Auguſtino, & cæteris, qui manifeſtè pleraſq; refutarerunt hæreſes. Crepuſculum autem veſpertinũ ei rurſus ingruit, cùm & in Oriente per Mahometum, ac Saracenos Eccleſiæ deſtructæ ſunt, & in Occidente quoq; per gentiũ barbararum infuſionem, profanamq́; Pontificum ambitionem, Apoſtolicæ doctrinæ lux obſcurata eſt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

Ac fuit hic ſecundus dies velut æquinoctialis, priore non modò longior aliquanto, ſed & multo clarior: quoniam in eo ſaltem ex parte nunc ad ſpiritualia bona tantùm pij mentes, ac deſideria ſua conuerterunt. Durauit autem, antequam ei Sol penitus occideret, vſq; ad tempus ferè, ſicut exiſtimant, Henrici quarti, quintiue, ad annum nimirum Chriſti circiter milleſimum, ac centeſimum: quando tandem, omnibus etiam principibus impoſito ſilentio, Papa regnum ſuum firmiter in authoritate Romanæ ſedis erexit, atq; conſtituit. Non tamen hoc ſecundo die complendum dicit Spiritus ſanctus illud Hoſeæ vaticinium, quòd plenè videlicet in eo viuificandi fuerimus à Chriſto, ſed hoc reijcit in tertiam quandam omnino quaſi ſolſtitialem: adeoq; vt valdè longam, immò potiùs æternam, ita perfectè quoq; lucidam, & ſummæ claritatis futuram diem: quam etiam conueniens præceſſit nox, tempus videlicet manifeſtè regnantis Antichriſti, qui ſecundum Scripturas omnes, Eccleſiam, ante mundi finem, rurſus vaſtaturus fuit: vt patet 2. Theſſ. 2. Matth. 24. & paſſim alibi. Cùm autem Antichriſtus, loco Chriſti, Regnum occupat

in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

in conſcientijs hominum de Chriſto gloriantium, cui Spiritu & indole plane contrarius is eſt, annon horribilis rurſus nox in eorum graſſatur animis?

Nox tamen hæc vt breuior, ita minus obſcura quoq; fuit, nam, quemadmodum circa ſolſtitium æſtiuum fieri ſolet, & initiò diu lucis aliquid ad Septentrionem, ex die præcedente retinuit (quòd in VValdenſibus, Huſſo, Vuicleuo, ſimilibusq; pluribus alijs perſpicuum fuit) & paulò poſt rurſus ex vi ſecuturi diei, velut ſub auroram eius, non modò linguæ literæq; politiores, tanquam ab inferis reuocatæ, primoq; ornatui ſuo paulatim reſtitutæ ſunt, verùm ipſa quoq; Theologia denuò Lucis aliquid admittere cœpit per viros doctos, & quaſi diuinitùs ad hoc inſtructos: inter quos haud poſtremum obtinuit locum Eraſmus ille Rotherodamus: qui velut ipſam iam exorſurus Auroram, non humanam ſolum eruditionem (vt ante eum complures in Italia pariter, ac Germania) fœliciſſimè promouit. Sed etiam in Eccleſiæ doctrina plurimos taxare cœpit errores: & Scripta patrum, nouiq; Teſtamenti libros haud parum illuſtrauit, licet ipſum Antichriſti regnum con-

ſtanter

ſtanter ſatis nondum oppugnarit. Sed hoc beatæ memoriæ Lutherus, eumq́; ſecuti plurimi ſtrenuè facere conati ſunt, eiusq́; ſaltem externos errores ita ſua doctrina detexerunt, & refutarunt, vt hac parte nō oppugnaſſe tantùm Antichriſtum, ſed & expugnaſſe rectè iudicentur: adeoq́; nemo dubitare debet, quin hinc ſaltem Aurora tertij diei qualitercunque ſe manifeſtare cœperit: ſi cœpit autem, abſq́; dubio magis magisq́; paulatim inclareſcet, donec in ipſam diurnam æternæ fœlicitatis lucem excreſcat.

Siquidem Auroræ proprium eſt non in eodem Lucis gradu perpetuò manere, multò minus velut retroacto Sole, rurſus obſcurari per aliquòd nubium, aut alterius rei cuiuſuis impedimentum: ſed hæc victrix eſt, ac tandem omnibus deluſis aduerſarijs, victorioſè perrumpit, & potenter hemiſpherio noſtro Solem, diemq́; introducit. Vnde certò conſtituamus, Chriſtum omnipotentem illum Seruatorem, ac Regem noſtrum, dum ſuum aduerſarium (qui diu, tanquam in obſcura nocte, Regnum ſuum huc vſq́; nullis impedientibus, impunè poſſedit) iam tanquam in diluculo fortiter oppugnare cœpit, omninò pro-

greſſu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

greſſurum eſſe vlterius, vt eum videlicet ex omni parte, tàm intus quàm foris, perfectè nobis debellet, proſternat, & aboleat, adeoq́; lætiſſimum in Eccleſia ſua triumphum de eo celebret, & Regnum ſuum æternum occupet.

Id, inquam, è veſtigio futurum eſſe, nemo dubitet, quoniam & iam fieri paulatim certiſſimè colligitur: quantum enim nocti præmiſſæ decedit, profectò neceſſe eſt, vt appropinquanti diei tantùm accedat: Sicuti quatenus tenebræ minuuntur, eatenus non poteſt non augeri lux. Aliter enim haud fit in ijs, quæ dicuntur contrariè oppoſita. Qualia planè ſunt etiam Chriſti Regnum, & Antichriſti tyrannis, cum hæc deorſum, illud ſurſum omninò vergat: Hæc in carnem & res mundanas prona ſit, illud in Spiritu, mereq́; ſpiritualibus deſiderijs tantùm conſiſtat. Quemadmodum & nomen hoc: Antichriſtus, id eſt, contrarius Chriſto, conuincit: ideò contrariæ quoq; ſunt conditionis, dumq́; ille floret, & regnat, Chriſtus cum ſuis opprimitur, & ſeruituti ſubiectus manet: vnde quàm primùm etiam cadere tyrannis illius inceperit, huius minui paulatim ſeruitutem,

tutem, & æternum erigi regnum oporte-
bit.

Sicut enim Antipodum, ſeu Antich-
thonum noſtrorum dies noctem, neceſſariò
nobis obuertit, & eorum crepuſculum veſper-
tinum, noſtrum eſt diluculum: quemadmo-
dum eorum & æſtas noſtra hyems, & autu-
mnus noſtrum ver eſt, ita ſanctis quidem,
dum Antichriſtus impunè regnat, adeoq́; ſu-
um diem quendam habet, neceſſariò tenebro-
ſa nox, & afflictio grauiſſima relinquitur:
& econtrà, cùm illi ſuus dies ad veſperam
declinat, & obſcuræ nocti locum dare iam in-
cipit, ibi non poteſt non his amabilis admo-
dum exoriri, vel ad ortum ſaltem appropin-
quare dies. Quarè, cum nemo neget, Anti-
chriſto iam, tanquàm tenebris nocturnis, per
auroram hîc illic multum decedere, quis dubi-
tet, quin ita propius ad Chriſti lucem, æter-
namq́; veritatem ſancti paulatim appropin-
quent? atq; ideo ſummopere nunc imprimis
annitendum nobis eſt, vt in cœtu vere ſancto-
rum, hoc eſt, ipſi quoq; vere ſancti reperia-
mur: ne cum prophanis ocyus ad appropin-
quans iam ijs exitium horribiliter abripia-
mur: ſed vt potius, vnà cum ſanctis, iam il-

luceſcens

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

luſcens ijs, ineffabili cum beatitate, Chriſti Regnum ingrediamur.

Hoc enim illuceſcere iam demonſtrat & ipſa doctrinæ vis, qua reuelatur, & eneruatur ſenſim Antichriſtus. Cum enim is anteà per doctrinam priorem non tàm deſtructus, quàm nutritus etiam videatur (de Scripturis enim & ipſe gloriatur) eadem vtiq; non altiore ſenſu repoſita, nunc illum enutritum à ſe tam facile deſtruere nequit. Cùm enim illum anteà nec naſcentē in inchoationis doctrina quiſquā olfecerit, nec exceſcrentem paulatim tot ſæculis animaduerterit, quomodo quæſo tandem adultum, ſeu conſummatum, & ſpecioſiſſimè fucatum aliquis ex eadem illa doctrina non efficatius, & perfectius reuelata iam agnoſcere, reprehendere, damnareq;, & euertere poſſet? Cùm igitur id, omnium ſanorum iudicio, fieri cœperit hoc noſtro ſæculo, quis dubitet, quin doctrina, quæ fieri cœpit, non ſit illa prorſus inuariata, quæ prius Antichriſtum peperit, fouit, & protexit: ſed noua planè, vel illa plurimum innouata ſaltem ac maiorem ex aduentu Chriſti poſteriore, quàm ex priore quondam habuit, adepta virtutem. Nam vt Spiritus car-

ne certè multo dignior eſt, ita poſterior hæc, glorioſaq; Seruatoris apparitio priorem, quæ ſeſe in carne noſtra patefecit, haud dubie poteſtate, luceq;, & gloria procul excedet: adeoq; & mirum haud videri debet, ſi næuos anteà velut in quadam ſcientiæ noſtræ caligine latentes, & maſſam totam fermentantes hæc manifeſtatura mox creditur, immò nunc etiam apertè manifeſtare conſpicitur, ſuos quoſdam velut radios in Aurora præmittens, & iam ipſum iuſticiæ ſolem adfore ſignificans.

Porro colligimus hoc ipſum & alibi, nempe quòd hic Domini dies velut in diluuio quopiam appropinquet, cum ipſe Matth. 24. non obſcurè primum quidem doceat, Eccleſiam ſimilem eſſe puerperæ, dum afflictiones, quas patitur etiam initiò, nominat ὠδίνας: πάντα δὲ ταῦτα (inquiens) ἀρχὴ ὠδίνων, id eſt, hæc omnia ſunt initium dolorum, eiuſmodi ſcilicet, quales mulier parturiens, aut grauida perferre ſolet. ὠδὶν enim, vel ὠδὶς de tali propriè dolore dicitur, quem prægnans fœmina perpetitur: Deinde, clarè mox affirmet, anguſtias, quas eadem fert Eccleſia, poſt abominationem deſolationis, id eſt, poſt An-

tichri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

tichriſtum reuelatum, in ſui mortificatione fore tantas, vt non anteà modò pares, aut ſimiles eis nunquàm pertulerit, ſed vt huiuſmodi nec in poſterum vnquàm, his exantlatis, vlterius perpeſſura ſit. Quoniam his verbis Dominus admodum euidenter oſtendit, Eccleſiam in his ijſdem, quas Antichriſto reuelato, nunc perfert, anguſtijs, omninò parituram, hoc eſt, ad glorioſam Chriſti lucem, peruenturam eſſe: quia parturiens grauiſſimo dolore ſuo perfuncta minimè dici poteſt, antequam peperit: ſiquidem in partu vehementiſſimus ei dolor eſt. Vnde ſi nunc Antichriſto, tantam hæc arcana puerpera, nimirum Eccleſia Sanctorum, patitur anguſtiam, quantam poſteà nunquam vlterius permetuere cogetur, vt affirmat Dominus, vtiq; clarè ſignificatur (quemadmodum facilè quiuis intelligere poteſt) eam in his ipſis mortificandæ carnis vniuerſæ doloribus fœtum enixuram, hoc eſt, ab omni malo, peccatoq; & ira Dei plenè liberandam eſſe.

Docet hoc ipſum adhuc aliquanto, ſi fieri poteſt, euidentius ille gentium doctor, 2. Theſſ. 2. cùm Antichriſtum illum ἄνομον ſeu iniquum, hominem peccati, filiumq; perditio-

nis, in Templo Dei ſe collocantem, &c. (quem omnes fatemur, à pluribus verbo Dei non infœliciter iam pridem oppugnari, palatimq́; etiam aboleri quodammodò cœpiſſe) clarè dicit, à Chriſto demum, Spirituq́; oris eius, id eſt, verbo Chriſti ſpirituali conſumendum, & illuſtratione aduentus eius abolendum eſſe penitus. nam ſi per illuſtrationem aduentus Chriſti deſtruendus eſt Antichriſtus, qui nunc paulatim deſtruitur, & aboletur, obſecro quis tum neget, aduentum Chriſti nunc etiam paulatim illuſtrari?

Quid? an non & Propheta Daniel euidenter ſatis indicat, his noſtris omninò temporibus Chriſti regnum affulſurum eſſe, dum clarè ſcribit, lapidem illum de monte ſine manibus abſciſſum, hoc eſt, ipſum Chriſtum, eiusq́; Spiritum, in Babylonici coloſſi non tam tibias merè ferreas (in quibus antiquum, & adhuc potens Romanorum imperium, ætasq́; Eccleſiæ primitiuæ depingitur) quàm in infimos eius pedes ex ferro, teſtaq́; mixtos, id eſt, in poſtremum hoc noſtrum ſæculum, inciſiſſe, coloſſoq́; ita diſiecto, contritoq́;, ocyus in maximum excreuiſſe montem, qui totum terrarem orbem impleret.

Idem

Idem etiam in Michæa, cap. 5. ſuauiter admodum prædelineatum nobis legimus, dum in Aſſur ſaltem Antichriſtum intelligere placet: quoniam & is non minus, quàm rex Babylonicus, populum Dei captiuum in alienam terram abduxit: Sed audiamus tandem huius Prophetæ ſuauiſsimum de hoc myſterio teſtimonium: Hic (nempe Chriſtus) erit, inquit, nobis pax, cum Aſſur venerit in terram noſtram, & calcauerit in terminis noſtris: Et erigemus aduerſus eum ſeptem paſtores, & octo principes hominum: Et paſcent, ſeu deſtruent terram Aſſur in gladio, & terram Nimrod lanceis ſuis: Et ita liberabimur ab Aſſur, cum venerit in terram noſtram, & cum calcauerit in terminis noſtris: Et tunc erunt reliquiæ Iacob, quaſi ros à Domino, &c. Quia ſecundum hiſtoricum ſenſum Iſraëlitæ nunquam Aſsyriam vaſtaſſe leguntur: Sed arcanè futurum hoc à ſpiritualibus Iſraëlitis in fine dierum, vt à Michæa prædictum eſt, omninò certiſsimus: Et, quia nunc Aſsyrium hunc arcanum in Eccleſiam veniſſe, conculcaſſeq; eam videmus, pacem quoq; promiſſam, & liberationem ocyus à Domino reuelandam expectemus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

In hunc modum etiam apud alios omnes ferè Prophetas obſeruamus, quòd vbicunque deſcripſerunt Antichriſtum, eiusq; tyrannidem acerbiſſimam, ocyus optatam fidelibus ab ea liberationem, & amabile Chriſti Regnum quoq; promittant. Hinc Eſaias, vbi cap. 11. (quo Paulus in oraculo ſuo de Antichriſto, modò citato reſpiciebat) hæc verba præmiſit: Et percutiet terram virga oris ſui, & Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium, &c. mox prolixam adiicit Regni Chriſti deſcriptionem, cùm ait inter alia: Non tùm amplius nocebunt, & non occident in vniuerſo monte ſancto meo, quia plena erit terra cognitione Domini, ſicut aquis mare operitur, &c.

Non aliter & poſteà toto ferè cap. 24 futuram Eccleſiæ vaſtationem, & Antichriſti regnum Eſaias deſcribit, & maximè ſub finem, cum hæc adiicit: Et erit in die illa, viſitabit Dominus exercituum excelſum, qui eſt in excelſo, & Reges terræ ſuper terram: & colligentur, ſicut vincti colligi ſolent, in puteum, & claudentur in carcere. Quibus verbis Propheta diuturnam piorum ſub Antichriſto captiuitatem omninò prædicit. Atque inde

inde mox vt Antichriſti reuelationem, ita ſimul perfectam Eccleſiæ liberationem, & glorioſum Chriſti diem promittit, his additis continuè verbis: & à multitudine dierum viſitabuntur, ac tùm erubeſcet Luna, & pudefiet Sol, quia regnabit Dominus in monte Zion, & corā Senibus ſuis glorificabitur, &c.

Quin adhuc aliquanto cùm prolixius tùm & clarius idem Eſaias cap. 34. & 35. nobis hoc ipſum prænunciat. nam cap. 34. quidem in Idumææ vaſtatione, regnum Antichriſti deſtruendum eſſe, ſignificat: quoniam in Edom, qui fuit Eſau frater Patriarchæ Iacob, hypocritas & profanos in Eccleſia, cœtumq́; antichriſtianum apud Prophetas vbiq́; depingi videmus. Cùm igitur inter alia plurima, torrentes eius in picem, & humum in ſulphur eſſe conuertendam, perpetuoq́; arſuram ait vt in ea nulli dehinc habitent homines veri ſed ferales tantûm aues, & immundæ beſtiæ, coruus, onocrotalus, ericius, vlula, cum Satyris & Lamijs: vtiq́; ibi meræ vepres & ſpinæ creſcant, etc. nemo ſanè dubitare debet, qui arcanis huiuſmodi verbis indicet, aliquando futurum, vt Antichriſti nobile regnum corruat, & principes eius, detecta fa-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

cie, damnentur, & habeantur ij, qui ſunt, impij ſcilicet, & profani, diuinæq́ veritatis hoſtes, non gubernatores Eccleſiæ diuina voluntate conſtituti, pro quibus huc vſq́ falſo diu ſe congeſſerunt.

Sed hoc vbi factum fuerit, quid expectandum erit, nimirum id, quod ſequente cap. 35. ſtatim ibidem æquè copioſè de Eccleſiæ conſummatione, clariſſimoq́ Chriſti die ſubijcitur his verbis: Lætabitur deſerta & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium, germinans germinabit, & exultabit, gloria Libani dabitur ei, decus carmeli, & Saron: ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri, quòd iam Deus noſter ſit venturus, ac ſaluaturus nos, &c. Quo tempore dicit Eſaias, & omnes vitioſos, qui ſcilicet vitia ſua deteſtantur, verè ſanandos & perfefectiſſimam ſalutis viam, in quàm nullæ crudeles beſtiæ conſcendant, eſſe manifeſtandã: ac tùm ſanctos ab omni malo liberatos in Zion eſſe reuerſuros, proq́ Eccleſia vera tandem rurſus agnoſcendos cum laude, lætitiaq́, & gaudio ſempiterno, dolore iam, gemituq́ ab ijs fugiente, &c. Totum caput hoc, ſi cui placet, inſpiciat, & ita, Chriſti diem hunc poſtremum

mum in eo prædici, facilè conſiderabit: adeoq́; eum & mox poſt Antichriſti ruinam vt deſcriptum à Propheta, ſic venturum quoq́; certo ſtatuere poterit.

Quemadmodum & ſtatim poſtquam Eſau, primogenitus Iſaaci natus fuit, Iacob eum in partu, manu ſua plantam pedis eius tenens, mirabiliter inſecutus eſſe ſcribitur. Sicut & poſteà, cum pater eorum, Iſaacus iam ſenex, & caligantes habens oculos, ne videre quicquam amplius poſſet, adeoq́; ſtatum Eccleſiæ nouiſsimis his temporibus ab Antichriſto corruptũ repræſentans, initio quidem emiſiſſet maiorem filium, Eſauum, in agrum, vt ibi feras agreſtes arcu, gladioq́; ſuo venaretur, quaſi ſic benedictionem promiſſam conſecuturus: Intereà quietus Iacob, ex conſilio piæ matris, intus nimirum in ſe, ſuiq́; cordis expurgatione, manens, illo deluſo, benedictionem paternam, haud citra myſterium ingens, obtinuit.

Huiuſmodi certum futuræ noſtræ liberationis ordinem apud alios quoq́; Prophetas, Ieremiam, Ezechielem, Hoſeam, Ioëlem, Amos, Abdiam, & Zephoniam, cæterosq́;, pluribus locis (ne de Pſalmis etiam dicam) &

alibi paſsim legimus. Verum ijs, ne prolixiores fiamus, in medium nunc relictis, vno verbo ſaltem ordinem in Propheta Zacharia ſane pulcherrimum aperiamus. Is enim, præter alios in hoc diligens fuit, vt ordine certo tres hos (de quibus ex Hoſea modo diximus) Eccleſiæ dies in eodem libro celebraret. Si quidem vt 14 tantùm habet in eo capita, ſic primis 8. præcipuè de ſuis coætaneis, veteriq́; pacti temporibus agit, at nono decimo & vndecimo clarè prædicit ea, quæ temporibus inchoationis in Chriſto primùm, aſini tergo conſcenſo Ieruſalem ingrediente, prædicanteq́; Euangelium pacis, paſſoq́; & excitato: Deinde & in eius Eccleſia florente ſimul initiò, & mox degenerante, geſta ſunt.

Quam primùm autem in vndecimo capite prolixiùs eius, velut montis pulcherrimi, Libani deſtructionem, & Antichriſti, quem paſtorem ſtultum vocat, erigendum in ea regnum apertè, cumq́; omnium doctorum aſtipulatione prædixit, aggreditur ſtatim in vltimis 3. capitibus ad hanc noſtri temporis Auroram amabiliter admodùm prædicendam, dum literæ primùm repurgatores, eorumq́; ſucceſſum in Ducibus Iudæ prænunciat: & mox inde Spiritus, veritatisq́; præco-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

nes in domo Dauid, & habitatoribus Ieruſalem gratioſiſſimè deſcribit, cùm ait primum cap. 12. Et effundam ſuper domum Dauidis, & habitatores Ieruſalem Spiritum gratiæ & precum. Item paulo pòst cap. 13. in illa die erit fons patens domui Dauid, & habitatoribus Ieruſalem in ablutionem peccati, & immundiciæ, cum alijs, quæ prolixè de beatiſsimo diluculo, vſq; ad libri ſui finem, idem hic Zacharias proſequitur.

Nec minus hoc ipſum etiam è Scripturis noui Teſtamenti colligi poteſt non modò, quia Chriſtus id in ſe ſuoq; exemplo præoſtendit, dum ſtatim, poſtquàm ab Antichriſtiano mundo crucifixus, & mortuus, ſepulchroq; impoſitus fuit, à mortuis glorioſè die tertio reſurrexit, quò ſignificaret, ita tandem & Eccleſiam, corpus ac ſponſam ſuam, vbi ſatis diu tandem Antichriſtum, in ſe reuelatum perpeſſa fuerit, & ſic arcano modo ſub eius iugo ſe mortificarit, ocyus ad glorioſam in Spiritu ipſius vitam excitatum iri (ſicut etiam Apoſtolus ait, illum Sanctorum hoſtem in Apparitione Chriſti, quod modò latius audiuimus abolendum eſſe) verùm, quia paſſim idem in Apocalypſi quoq; pluribus figuris inculcatur,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

culcatur, quod videlicet Antichriſti ſæuiſſimæ tyrannidi patefactæ, damnatæq́ue, & euerſæ glorioſum, & conſummatum Chriſti regnum è veſtigio ſubſtituendum ſit, vt illam da-mnari videntes in Eccleſia pij, non poſſint non hoc omninò ſtatim ſibi reuelandum ex-pectare.

Cernimus id primùm in huius libri cap. 7. nam illic initiò quidem Angeli 4. valdè noxij tenent vbiq; terrarum ventum, id eſt, Spiritum ſanctum ac doctrinam ſalutis, ne ſpiret ſuper terram. Vnde, cum horum ty-rannis per alium eos inſecutum Angelum re-frenari cœpit, mox prodeunt & illi ſtolas in-duti condidas, qui ſunt coram throno Dei etc. Sic & paulo pòſt, cum Antichriſti regnum ibi cap. 9. Sp. ſanctus in locuſtis, & equitibus illis copioſè deſcripſit, immediatè ſubiungi-tur in capitibus proximè ſequentibus decimo, & vndecimo, ſatis apertus & amabilis ad-modum b. conſummationis typus in Angelo illo forti, nube circum amicto, velatoq́; iride, cuius facies lucebat, vt ſol, & pedes erant quaſi columnæ ignis, & habebat apertum iam in manu ſua librum. Item paulo pòſt in du-obus illis teſtibus Chriſti prophetantibus, qui

primùm

qui primum occiſi, mox conſcendunt cœlum &c. Sic etiam cùm in beſtijs Antichriſtus, cap. 13. deſcriptus fuit, mox cap. 14. clarè manifeſtatur Chriſti Regnum, dum ſtare iam oſtenditur agnus in monte Zion, & cum eo 14400 habentes nomen patris ſui ardens in frontibus ſuis, &c. quæ pulcherrimè per totum caput ibi deſcripta leguntur.

Non aliter & cap. 16. poſtquàm beſtiæ thronus, & regnum effuſa quinta phiala, tenebroſum adeò factum eſt, vt ſuas ipſorum linguas, hoc eſt, proprias ipſorum, humanas quippe doctrinas homines morderent, ſeu manducarent, inde mox, poſt effuſionem ſextæ phialæ, ſiccato Bobylonico flumine, præparata eſt via Regibus ab ortu ſolis venientibus, & mundum in iuſticia gubernaturis, &c. Sed perfectiſſimè ſimul & copioſiſſime videmus, hæc eadem præfigurari ſub finem eiuſdem libri: quia ſicuti caput. 17. 18. 19. & etiam 20. velut ex propoſito, regnum Antichri conſtitutum, patefactum, damnatum, ac deſtructum fuſiſſimè, varijs introductis figuris, lamentis, & exhortationibus, deſcribitur: ità poſtea duobus vltimis capitibus,

21 ſcilicet, & 22. glorioſum Chriſti regnum in perfecta Luce, gloriáue ſua reuelatum ſententijs admodum inſignibus exprimitur, dum loquitur de eo Spiritus ſanctus his, inter alia, verbis: Et vidi cœlum nouum, ac terram nouam. Item, Vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem, deſcendentem à Deo de cœlo, præparatam, vt Sponſam ornatam viro ſuo. Et audiui vocem de cœlo, dicentem: Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, &c. quæ prolixè duobus integris, vti dictum, capitibus, ad finem vſque libri, ſubiunguntur. Cum itaq; liber Apocalypſeos vnica, vel ſaltem præcipua ſit noui Teſtamenti prophetia, decet, vt eum quoq; magnifaciamus, & in ea, quæ ſub mundi finem Eccleſiæ reuelanda fuerunt omnino prædicta eſſe firmiter conſtituamus: adeoq; & nihil dubitemus, quin hoc ordine Chriſti regnum, Antichriſto reuelato nunc, ac damnato, propediem ſubſtituendum ſit.

Sed nos iam dudum vltra clepſydram, & prolixiùs forſan hoc argumentum, quam huic tempori conueniebat, vrgemus: verum tamen, ſi dignè quis perpendere voluerit, quanti

quanti res hæc momenti ſit, neutiquam is hinc nobis iuſte ſuccenſere poterit: quoniam ea fere ſola nos vel æternæ mortis, & iræ diuinæ reos, vel vitæ planè beatæ, ſalutiſq́;, & fœlicitatis nunquam rurſus adimendæ conſortes efficere poteſt. Siquidem dies Domini, cuius Auroram nunc illuceſcere docuimus, vt præcognoſcentes, ac decenter obſeruantes eum, amabilis admodum lux erit, quæ ſuis radijs omnes mox tenebras, omnes lapſus, omnia peccata, doloreſq́;, & calamitates in perpetuum ijs auferat, ita cæſis, & ſtertentibus in carnali ſua vita (qui nunc falſa quædam huius mundi die, noxiaq́; ſecuritate ſe decipiunt) hac ocyus erepta, noctem obſcuriſſimam, & perennes dolores, eius loco reddet. Quo ſenſu videmus à Prophetis, impiorum reſpectu, concinnè prorſus hunc, (Sanctis amabilem) Domini diem, tanquàm tenebroſum, ſeu nebuloſum, & obſcurum, id eſt, calamitoſum valde deſcribi, foreq́; prædici: quemadmodum & hic mundus, in quo profani diem quendam, & fœlicitatem ſuam conſtituunt, verè pijs (quoniam hi ferè crucem, cum Domino ſuo Chriſto, ferunt, & ignominioſè, ſicut ille, cum impijs reputantur)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

tur) longè nocti, quàm diei, ſimilior appa-
ret.

Quare nos iam, ſi ſapimus, & æternam cupimus felicitatem, ocyus abſq; longiore deliberatiene, mentis oculos à præſentibus omnibus auertamus, & ad ea ſola conuertamus, quæ profanis haud in conſpectu ſunt, ſed fidelibus tantùm in die Chriſti reuelari queunt. Ad quem ſi ſemper anhelandum fuit Sanctis, multò magis profectò nunc eſt, cum imminet, iamq; illuceſcit, & velut in Aurora quadam, notabiles à ſe ſpargit radios. Vnde nec dubium eſſe poteſt, quin iam Sol myſticus ad Horizontem noſtrum appropinquet, ipſeq; Chriſti Spiritus corda noſtra perfectè ſua luce perfundere quærat. Hoc tot, quas attigimus modò, Scripturæ manifeſtè clamant: Hoc à tot eruditis Mathematicis annotata ſuperiorum Planetarum illa, quæ viſa eſt hac hyeme tota, coniunctio conteſtatur, cùm & in Zodiaci finem inciderit, vbi ſemper, quoties ab initio mundi facta eſt, aliquam inſignem Eccleſiæ mutationem prænunciauit: & ſit non tantùm imparis numeri, (poſt qualem bona magis & optata Sanctis contigiſſe, reperimus) Verùm etiam ſeptima, qui nume-

rus

rus habetur arcaniſſimus, & vt ſeptimanam, ita veriſimiliter & mundum clauſurus, & Eccleſiam conſummaturus exiſtimatur: Hoc denique certiſſimè præmonuit illa molis immenſæ fax, & ſtella noua, quam pridem in eadem ferè linea reſpectu polorum mundi, cum illa memorabili coniunctione, verſus hanc plagam ſeptentrionalem, ſupra vertices noſtros, vltra ſpacium totius anni mira luce rutilare vidimus: cuius profectò nouæ ſtellæ iuſtum eſt, vt perpetuò ſimus memores: vtq; his omnibus commonefacti, vigilanter ad inſtantem iam Domini diem aſsiduè proſpectemus, nec eum nobis in maximum damnum, æternamq; miſeriam noſtram, claudentibus oculos fruſtrà lucere, ſeu in curis huius caducæ vitæ ſtertentibus incognitum obuenire ſinamus qui ſicut obſeruantibus ad eum erit ſalutaris, & ineffabilis lætitiæ cauſa, ſic negligentibus horrendam adducet noctem, & extremum proferet interitum.

Ideò, ſicuti Dominus fideliter omninò nos, hoc temporis articulo viuentes, præmonet his verbis: Cum hæc fieri videritis, Leuate capita veſtra, ſuſpicite, & ſcitote, Re-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

gnum Dei, veſtriq́; Redemptionem eſſe præ foribus. Amen dico vobis: non præteribit hæc generatio, donec omnia facta fuerint. cœlum, ac terra tranſibunt, mea autem verba non tranſibunt. Cæterùm, inquit, attendite, ne quando corda veſtra tunc grauentur crapula, & ebrietate, profanisq́; de victu curis, & ſic repentinus ingruat in vos ille dies, tanquã laqueus enim ſuperueniet omnibus, qui ſedent, id eſt, habitant animo ſecuro, ſuper faciem vniuerſæ terræ Vos igitur (inquit) vigilate iugiter, orateq́; inſtanter, vt digni reddamini, effugere mala, quæ ſecuris ibi ſuperuentura ſunt, & ſtare coram filio hominis: In hunc planè modum & nos hîc pios omnes iterum atque iterum admonemus, vt nunc ad vicinum Chriſti diem, omni luxu, mundanaq́; ſollicitudine depoſita, ſericò vigilare, ſemperq́; & ardenter orare ſtudeant, quo mala quæuis eluctati, ſtare, beatiq́;, & hilares eſſe poſsint coram illo filio hominis, Chriſto Domino, & Seruatore noſtro nunc & in omnem æternitatem.

Oremus te Domine Ieſu, fili Dei viui, quem Iudicem viuorum, & mortuorum adfutu-

futurum expectamus, vt ex immenſa tua bonitate nobis oculos mentis aperire digneris, quo nunc in hoc velut mundi quidem veſpere, ſed æternitatis diluculo, diem & iuſtitiam tuam æternam, qua liberemur ab omni malo, tuam in gloriam, & fideliter expectemus, & feliciter obtineamus, Amen.

DIXI.

FINIS.

Deo laus, Amen.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

ORATIO II. DE MORTE ARCANA, ſeu quanta lux arcanè mortuis demum affulgeat.

SPERO CLARISSIMI viri, ſtudioſiq; auditores, vitio nobis haud quaquàm eſſe vertendum, ſi profitentes actionem Philoſophicam, hîc ſapientiam eam quæ plane ſyncera eſt fucoq; omni caret, & certè Chriſtianos maximè decet, nempe Chriſtianis ab ipſo Deo manifeſtatam, coram vobis inueſtigauerimus. Vt enim Virgilius in Bucolicis ait: *Si canimus ſyluas, ſyluæ ſint Conſule dignæ:* ſic & nos exiſtimamus, ita tractanda nobis humana quæuis officia, ne diſsimulemus interim, nos eſſe Chriſti diſcipulos, & ſtudioſos imprimis eius Lucis, quam è ſinu ſui patris ipſe protulit, & verbo ſuo nobis in æternam animæ noſtræ ſalutem patefecit: nos tamen hic è ſacra Scriptura ſeligemus non ea, de quibus hoc tempore, cum ia-

ctura

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

ctura fraternæ charitatis, à multis periculosè concertatur: ſed quæ magis nos in vera pietate, ſanctaq; lucis diuinæ ſpe confirment, atq; reficiant: & quæ præterea non procul etiam à decretis nonnullorum veterum Philoſophorum abludere videantur.

Conſtituimus enim hîc oratione quàm breuiſsima ſimul, & ſimpliciſsima declarare, quòd vera Philoſophia, ſeu veræ ſapientiæ ſtudium ſit arcana mors, aut mortis meditatio quædam: adeoq; initiò de morte neceſſariò non nulla præmittemus, poſteà de ſcientia quæ reuelatur arcanè mortuis, iuxta Scripturas, aliquãto latius acturi. De quibus dum admodũ ſimpliciter, aperteq; dicere ſtudebimus, primùm nobis Deus humiliter exorandus eſt ille pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, bonorum omnium fons, & largitor vnicus, qui ſolus eſt ſapiens, omnipotens, & bonus, vt ipſe nobis in hoc ordinario labore noſtro clementer adſit, eaq; inſpiret, ac ſuggerat, per quæ cùm æterna ſui nominis gloria, tum fidelium omnium ſalus & exædificatio promoueri queat: Deinde rogamus etiam vos omnes, qui nunc hîc adeſtis, vt ea, quæ proferemus in medium, æquis, beneuolis, attentisq; percipe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

re ſtudeatis animis, nihil addubitantes, quin eadem, Dei beneficio, vobis etiam vtilem, ac ſalutarem omninò præbitura ſint instructionem. Sed nunc ad rem ipſam, abrupta præfatione tandem accedamus.

Primùm itaq; myſterium hoc de morte veteris hominis olim etiam Plato, Philoſophus gentilis, & Chriſti luce non imbutus, quodammodo vidit, verbisq; illuſtribus, in dialogo, qui titulo Phædonis inſcribitur, naturales tantùm ſequens rationes, expreſſit. Fundamentum autem huius doctrinæ iacit in hac vſitata mortis definitione, quòd ea ſit animæ à corpore ſeparatio, vel (vt ipſius vtar verbis) τῆς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος ἀπαλλαγὴ.

Atq; inde progreſſus Plato colligit, Philoſophos, qui profeſſioni ſuæ reſpondent, eſſe ſtudioſos mortis, quoniam vt ait: ἀπολύουσιν ὅτι μάλιστα τὴν ψυχὴν ἀπὸ τῆς τοῦ σώματος κοινωνίας διαφερόντως τῶν ἄλλων ἀνθρώπων: Dum de corpore quidem à ſe velut obliuioni tradito, nihil aut parum admodum ſolliciti, cibum, potum, ornatiorem in veſtitu cultum, aliasq; voluptates, & vitæ faſtus, quibus corpus extrinſecus honoratur,

foue-

ſouetur & colitur, prorſus, negligunt: animæ verò virtutibus omnis generis expoliendæ tantùm intenti ſunt: quod vbi ſeriò faciunt, quæſo quid aliud, quam fugam, ac diſceſſum à corpore, meditantur, hoc eſt, quàm ad ad mortem ſe componunt, & (vt ibidem Socrates introductus à Platone loquitur) ἀποθνήσκειν μελετῶσι?

Deinde, probat idem ibi Socrates & hac ratione, quòd Philoſophi ſint intenti ſpeculationibus: & quòd eſſentiales rerum formas, & veritatem in omnibus inquirant: quò ſenſus corporis, auditus, viſus, tactus, & reliqui nihil prorſus conducunt, immò magis obſunt, & ſe veritati, ne facilè veniat ijs in conſpectum, hoſtiliter opponunt, vt ibidem ipſe ſignificanter admodum teſtatur his verbis: ὅταν μὲν γὰρ ὁ φιλόσοφος μετὰ τοῦ σώματος ἐπιχειρῇ τι σκοπεῖν, δῆλον, ὅτι τότε ἐξαπατᾶται ὑπ' αὐτοῦ, *id eſt, Philoſophum, dum inter ſpeculandum in conſilium adhibet corpus, ab eo ſeduci, manifeſtum eſt. Omitto rationes alias, quibus ille, quòd corpus agnitioni veritatis impedimento ſit, dum iam cibi, veſtitusq́; ſollicitudine remoratur,*

moratur, iam etiam infirmitatibus, & morbis varijs detinet hominem, velut irretitum, ne liberè prorſus, & expeditè ſapientiæ ſtudio vacare queat: ex quibus omnibus hoc diuinus ille dictus Plato concludit, quòd Philoſophi, quicunq; verè ſunt, quòd audiunt, recedere quàm longiſsimè à ſocietate, ſeu affectione ſui corporis, id eſt, mori, ſeriò ſtudeant.

Nec multum ab hac Platonica diſcrepat cœleſtis, & omnibus modis veriſsima Domini, Magiſtriq; noſtri Chriſti, Philoſophia: ſiquidem & in ea veteris hominis mortificatio nequaquam vltimo loco nobis præcipitur: Eadem tamen cum illa prorſus non eſt. Vt enim hæc noſtra, per omnia, ſancta & immaculata eſt: ita Platonis illa, quantumuis inſignis, & admiratione digna, tamen ex humanæ mentis (vbi verbo Dei deſtituitur) caligine, ſuis quibuſdam adhuc erratis obnoxia deprehenditur. Quorum primum eſt, quòd in vniuerſum damnare videtur corpus, velut animæ carcerem, & ſepulchrum quoddam, in quo nunquàm illa perfectè veritatem ſcire poſsit, cùm nobis tamen è ſacra Scriptura manifeſtiſsimum ſit, quòd & ad imagi-

imaginem & ſimilitudinem Dei creatus homo, niſi peccaſſet, ad perfectam ſui creatoris, omniſq; veritatis agnitionem, etiam in corpore viuens, omninò perueniſſet: & quod certè poſt hanc vitam, reſuſcitatis corporibus, vtiq; Deum in illis, euidenter, plenèq; per omnem æternitatem cognituri ſimus. Ideò neque filius Dei corpus hoc noſtrum, ſuam bonam creaturam, aſſumere, ſed ſolum peccatum, abominabile duxit.

Alter Platonis in hac præclara ſua diſputatione lapſus eſt, quod labem originis ignorans, animam ab omni vitioſitate prorſus abſoluit: vt hæc ei planè ſit immaculata, dum ex contagione corporis non inquinatur, quaſi non homo totus, tàm anima ſcilicet, quàm corpore, poſt mandati diuini transgreſſionem, peccato ſit immerſus, id quod nunc omnibus in Eccleſia ſecundum Scripturas, in confeſſo eſt. Ex hoc fonte tertius ei quoque profluxit error: Cum enim nihil de fœda totius hominis auerſione, Deiq; aduerſus eam ira iuſtiſſima didiciſſet, hinc ſeriò nullum ſuis auditoribus dolorem, nullamq; pœnitentiam vſquam ſuaſit, nec aliud eis oſtendit re-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

medium, quàm emendationis humanum aliquod ſtudium, & liberum arbitrium: quod in tanto negotio reuera plus quàm ficulneum, aut ſtramineum eſt. Vnde meritò ſimiles videntur eiuſmodi Philoſophi tibicinibus illis, qui defunctis olim aſsidere ſolent: quoniam & hi ſuaui ſuo cantu viuis quidem aliquid euanidi præbebant ſolatij, ſed mortuis vitam non reſtituebant.

Idcircò plurimùm, vti dixi, Platonis humanam hanc Philoſophiam excedit diuina Chriſti nobis reuelata ſapientia, non efficaciæ tantùm, ſed & rectitudinis, & ſynceritatis reſpectu: quoniam hæc neq; ſubſtantiam noſtri corporis à Deo (qui nihil mali produxit vnquam) formatam accuſat, vel etiam damnat: nec animam à vitioſa qualitate per lapſum primi parentis ei quoq; inducta prorſus abſoluit: Sed vtranq; hominis partem, tàm animam, quàm corpus, nec minus eius Φρόνημα, ſeu rationem, intellectum, & ſcientiam vniuerſam, quàm voluntatem, affectus, ac deſideria omnia ſic eſſe coram Deo diſtorta, & inquinata docet, vt eius iudicio planè hinc homo ſit mortuus, & in nihilum, ſeu ad meram vanitatem redactus.

Quan-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

Quanquam enim alicuius anima fortè iam per mortem è corpore diſceſſit, nõ tamen ideò protenus ea coram Deo, prorſus beata viuere cenſenda eſt: Siquidem non vnica mors eſt hæc, animæ ſcilicet à corpore ſeparatio, de qua Plato ſolummodo diſputat, ſed inuenitur & alia mors quædam, hac multo formidabilior, & grauior, Dei videlicet ab hominis anima propter peccatum eius, diſceſſio: quia, ſicut anima corporis, ita Deus animæ noſtræ veriſſima vita eſt: vt, cum hæc à Deo, vita ſua, deſeritur, mortua ſit reuera, non ſecus ac videmus, corpus in ſe collabi, poſtquam animam, vitæ ſuæ cauſam, exhalauit.

Cùm igitur omnes in Adamo protoplaſta peccauerint, iuſticiamq́ꝫ hinc originalem amiſerint, & à Deo, vita ſua, miſerabiliter auerſi, ſeu abalienati ſint, quid aliud ſequitur, quàm vniuerſos, quotquot vſquam ſunt, homines in morte grauiſſima detineri conſtrictos, iuxta Domini dictum ad Adamum: Quocunqꝫ die comederis de arbore ſcientiæ boni & mali, morte morieris. Atqꝫ hæc eſt ratio, cur & in ſacroſancta Chriſti, præceptoris noſtri, Philoſophia tradatur doctrina de

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

na de morte, ſeu mortificatione veteris hominis, vbi mors quidem, vti dictum, non eſt intelligenda, corporis ab anima ſciunctio, ſed animæ potius à Deo, vitæ ſuæ fonte, ſeparatio, vera nimirum eius noſtræ calamitatis agnitio. Sanè mortem hanc horribilem, vult Deus, vt quotquot verè pij ſunt, in hac vita, cum vero ſenſu, dignoq; luctu, ferant: quò ſic ex morte tandem ad veram, & æternam in Spiritu Chriſti vitam perueniant. Quanquam enim omnes Adæ poſteri detinentur in hac horrenda morte, velut in obſcuriſsimo carcere, pauci tamen inter eos illam, iuxta Dei mentem ferunt hoc eſt, intelligunt ſentiunt, & in vera pœnitentia lugent, atq; ex animo deplorant.

Siquidem in Regno Chriſti quàm longiſſimè manet à ſpe vitæ remotus, quiſquis in Iudicio Dei, ſe vitæ prorſus expertem eſſe, nondum agnoſcit: vt & ægrotus ille periculoſiſſimè laborat, qui morbum ſuum haud ſentit. Hinc Euangelio Deus legem tàm operosè præmittit, clarisq; verbis exponit in ea, quid à nobis fieri velit, etiam in hunc finem, vt à nobis id, nullis humanis viribus, abſq; noua quadam è Spiritu Chriſti natiuitate, præſtari poſſe

ri poſſe videamus: quemadmodum atteſtatur & hoc Apoſtoli dictum: Per legem cognitio peccati. Sed qualis eſſe debet hæc peccati cognitio? num literalis & humana tantùm, qua videmus & pleroſq; hypocritas intrepidè fateri, quòd ſciant, ſe diuinæ legis eſſe tranſgreſſores, etiamſi nullum prorſus inde ſentiunt in corde ſuo dolorem, nec vt in melius commutent vitam ſuam, vllo modo ſolliciti ſunt?

Hæc profectò nequaquam eſt vera peccati cognitio: nam ſi verè quis in ſe peccatum videret, is inde ſe protinus & maledictum, et æternæ Gehennæ reum eſſe, neceſſariò concluderet: Idem inde iudicium, & horribilem iram Dei contra ſe, nequaquam ſine maxima conſternatione, ſentiret: vt non poſſit non hinc mox, velut ad ignem cera, colliqueſcere prorſus, & ardentiſſimo recuperandæ iuſticiæ deſiderio conſumi. Quanquam enim in Euangelio de Chriſto pij ſe ſuſtentant, ad impios tamen, ſeu ſecuros, & impœnitentes, qui reuera legem, ac tranſgreſſionem ſuam, vti dictum, ignorant, illud nullo modo pertinet. Nam legem præcedere nequit, ſed ſequi tandem debet hic lætus de Chriſto nuncius: vt

qui

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

qui vim legis haud ſentit, in veritate nullam ex Euangelio de Chriſto conſolationem haurire queat. Propterea toties in Scripturis hæ ſuauiſsimæ ſententiæ repetuntur, quòd pauperibus & afflictis Euangelium prædicetur, quod ſedentibus in tenebris, & in umbra mortis diuina lux affulgeat, contritis corde ſua vulnera ſanentur, cæcis viſus, ſurdis auditus, mutis eloquium, & vita mortuis, à Chriſto donetur.

Et hoc modo neceſſe eſt, vt omnes, qui mortem triſtiſsimam, in qua ſunt (eo quòd ab anima ſua, peccando, Deum amiſerint) in æternum effugere deſiderant, eam in vera legis agnitione per omnem hanc vitam, vero cum ſenſu, luctuq́; ac gemitibus inenarrabilibus, ferant. ſint ſpiritu pauperes, animoq́; afflicto iugiter ad Chriſti Regnum, & liberationem à peccato ſuſpirent, nocteq́;, ac die iuſticiam eius eſuriant, ac ſitiant, a ſe, terrenisq́; rebus omnibus animo velut ablactati prorſus, & auerſi. Quales verè peccatum ſuum agnoſcentes admodum pulchrè, Leuit. 13. depingitur in manifeſtè leproſis, non modò, cùm Spiritus ſanctus eos tùm demum, cùm nullam omninò partem in toto corpore

ſuo

ſuo viuam, ſeu ſanam, ſed meram illic vbiq; lepram, inueniunt, à lepra ſanè mirabiliter abſoluit: verùm etiam poſtea, cùm docet, quales nam leproſorum habitus, & inceſſus eſſe debuerit, quòd ſcilicet veſtes habere iuſsi ſint laceras caput nudum, os coopertum: & quòd velut palam immudus, eorum quiuis extra caſtra, ſolitarius verſari debuerit: Quibus omnibus apertè ſatis oſtenditur, quòd arcanus huiuſmodi leproſus, homo ſcilicet, qui verè ſe peccato pollutum agnoſcit, ex eo pudeſieri pudefactusq; os occludere, nihilq; magnificè de ſe loqui, nedum ſentire, ſed palam immundum ſe confiteri teneatur.

Vnde dicit Apoſtolus etiam 1. Cor. 11. Si nos ipſos iudicaremus, vtique non iudicaremur à Domino Et ipſe Dominus ad Phariſeos, Iohan. 9. Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum, iam autem, cum dicitis: videmus, peccatum veſtrum manet. Item: in Iudicium ego veni in hunc mundum, vt & qui cæci ſunt, videant, & qui vident, cæci fiant. In quam ſententiam ſuauiſsimè loquitur Dominus etiam Eſa. 1. Si fu-

erint

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

erint (inquiens) peccata veſtra, tanquam vermiculus, quaſi nix dealbabuntur, &c. quo dicto Spiritus clàm nos hortatur, vt in humilitate Chriſto Domino, qui peccatis noſtris oneratus inceſſit, & verus ille vermiculus fuit, omnino conformes efficiamur, vnaq; cum eo, peccatis etiam noſtris incedamus onerati, mortemq; veteris hominis, & mundi totius conculcationem, tanquam vermiculi quidam, libenter & ipſi feramus.

Porrò, quicunq; ſic mundo, & vniuerſæ carni cùm Chriſto, & in ſpiritu Chriſti moriuntur, hi vitæ quoq; & Gloriæ eius omninò participes futuri ſunt, alij verò nulli. Neque enim Chriſtus propter iuſtos venit, ſed vt peccatores vocaret ad pœnitentiam: non ſanorum, ſed malè habentium eſſe vult medicus: non ad ſe inuitat ſecuros in carne, ſed laborantes, & oneratos peccato: ſolos reſpicit pauperculos, & Spiritu contritos, qui contremiſcunt ad verbum ipſius: intentus eſt in orationem humilium, corq; eorum fractum, ſeu contribulatum, atq; contuſum haudquaquam deſpicit, ſed promptiſſimè ſemper, tanquàm ſacrificium ſibi gratiſſimum, acceptat,

Siqui-

Si quidem huiuſmodi demum Chriſti ſui præceptoris, in hac ſalutari Philoſophia, veræq; ſapientiæ ſtudio gemini ſunt diſcipuli, ſicut etiam indicat Dominus, Matth. 16. cum ait: Si quis poſt me venire vult, abneget ſemetipſum, &c.

Quare nec ſemper hi perſiſtent in humana ſuæ mentis caligine ſeu ignorantia, ſed mox, illuminatis diuinitus oculis per verbum, ſpiritumq; eius viuificum, è tenebris mirabilia de lege, doctrinaq; Dei conſpicient, clareq; tandem cognoſcent, quæ profani cuiuſpiam nec oculus vnquàm vidit, nec auris audiuit: immò de quibus & cor hominis non renati ne per inſomnium quidem cogitare poteſt. Nam profanis quidem Scripturæ manent, velut liber exoticus, aut ſigillis multis obſeratus, vt inſpici, legiq; ab ijs nullo modo poſſit. At hi ſurdi, cæciq; Chriſti, qui carnalem ſuæ mentis oculum eruunt, id eſt, qui velut ſibi mortui, ſecum omni ſuo intellectu, ſcientiaq; humana prorſus abnegant, ſoli tandem, iuxta Scripturas, audiant verba libri, Moſiſq; faciem citra velamen intueri poterunt, quantumuis, præ gloria, fulgoreq; diuinæ lucis illa rediet, omniumq; aliorum ocu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

los ita perſtringat, ac percellat, vt nudam, nulloq́; velamento coopertam eam haud inſpicere ſuſtineant.

Nam etſi Paulus 2. Cor. 3. Scripturam veteris teſtamenti ſolummodo (quia de nouo tùm nihil adhuc ſcriptum erat) in hac velata Moſis facie depictam eſſe, dicit, ſciendum nihilominus, quòd in hac imagine Moſis rectè Scripturam vniuerſam, quatenus litera eſt, & carnalibus oculis animisúe inſpicitur, comprehendamus quia noui teſtamenti nullus profanus, & è ſancto Chriſti Spiritu non renatus particeps eſſe poteſt. Quamobrem huiuſmodi ſecundum carnem affectis omnibus etiam in hunc vſq; diem tota Scriptura tàm Prophetica, quàm Apoſtolica manet vetus teſtamentum, adeoq́; ceu Moſaica quædam facies velo noſtræ peruerſæ carnis obnubilata. Sicut enim Exod. 34 ſcribitur, quod Moſes loquens coram Domino nullum faciei ſuæ velamen impoſitum habuerit, ſed hoc demum, ad populum locuturus, aſſumpſerit, ita ſciendum de tota ſacra ſcriptura, quòd in ſe quidem, quatenus à Deo ſcilicet eſt inſpirata, ſit Spiritus & vita ſed quod nihilominus lector, ſeu auditor carnaliter affectus, in ea tantùm litterā, id eſt, carnalem,

ſeu humanū quendam intellectum percipiat.

Senſus enim carnis eſt illud velamen, per quod à vero, Spiritualiq́ Scripturarum intellectu procul abercemur, nec Dei mentem, lucemq́ diuinam in ijs expreſſam quiſquam ſcire poteſt, qui non hunc ſuum corruptum oculum, nempe ſcientiam humanam, eruit, hoc eſt qui non ad arcanam ſui mortificationem ſe componit: nam ei mera parabolæ et ænigmata manent omnia quæ Deus vnquā locutus eſt: ſicut ait, Ioha. 16 Hactenus in parabolis locutus ſum vobis: veniet autem tempus, quo non amplius vobis in parabilis loquar, ſed liberè de patre meo annunciabo vobis Et Pſal 78. Aperiam in parabolis os meū, et proferam ænigmata abſcondita à principio mundi: quæ verba & Matthæus Euangeliſta ca. 13. Chriſto attribuit: omnia (inquiens) hæc Ieſus in parabolis loquebatur turbis et ſine pa parabolis nihil eis loquebatur, vt Prophetæ dictū impleretur Aperiā in parabolis os meū et.

In quam ſententiam legitur & Marc 4. memorabile Domini dictum hoc ad ſuos diſcipulos: Vobis datum eſt, noſſe myſteria Regni Dei, illis autem, qui foris ſunt, omnia fiunt in parabolis, vt videntes videant, & non

intelligant. Quanquam enim prima fronte videtur hîc Dominus loqui de paucis aliquot ſimilitudinibus, quas turbis illo tempore propoſuerat, ſciendum tamen, quòd emphatica verba hæc: ijs, qui ſunt foris, omnia fiunt in parabolis &c. multò latiorem requirant intellectum, & apertè declarent, uniuerſam Scripturam tàm Prophetarum, quàm Apoſtolorum ijs, qui foris, hoc eſt, qui non è Spiritu Chriſti regenerati ſunt, eſſe velut Moſaico velamine quodã etiamnũ obuolutam: ut adhuc hodie nullus hypocrita, quantumuis doctus, et celebris, veri quicquam in ea conſpiciat.

Si quis his contradixerit, et iã olim, poſtquã Chriſtus à Iudæis ac gentib. receptus eſt, illud Moſaicũ velamen à Scripturis ablatum eſſe, contenderit, eo quòd Paulus loco ſuprà notato teſtetur, illud aboleri in Chriſto, tolliq́ꝫ omnibus, qui conuertuntur ad Dominum. Si quis (inquam) ita ſentit, is primum diligenter conſideret id, quòd idem Apoſtolus ibidem immediatè ſubiungit his verbis: Dominus autem Spiritus eſt, ὁ δε κύριος τὸ πνεῦμά ἐστι. Nam hoc dicto, velut digito nobis oſtendit, de quali nam loquatur conuerſione, nimirum non de vulgari, qua quis exterius Chri-

ſti no-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

ſti nomen, ſeu doctrinam aſſumit, & Sacramentorum ceremonijs initiatur citra veram cordis & affectuum omnium inuocationem, verùm de ſpirituali, qua reddamur eiuſdem cum Chriſto Domino Spiritus, & indolis. Hanc internam, & perfectã è Spiritu Chriſti natiuitatem ſi quis habet, ei (fateor) Dei mens in Scripturis denudata eſt, & apertè, citrà velamen introſpicitur.

Alijs autem, qui Chriſtum tantùm exterius, & iuxta literam receperunt, nequaquam idem contingit: quanquam etiam ijs (haud nego) velamen hoc Scripturarum quodam modo ſublatum eſt, ita videlicet: vt externas & corporales Chriſti actiones in Scripturis prædictas clarius iam videant: Sed mentem Dei, qui Spiritus & vita eſt, in illis nemo videre poteſt, niſi qui, ſibi mortuus, nouam è Spiritu Chriſti vitam, & intellectum hauſit. Siquidem noſtra qualis ad Chriſtum conuerſio, talis & Scripturæ diuinitus inſpiratæ ſcientia eſt: ſi literaliter, vel ex parte tantùm ad Chriſtum conuerſi ſumus, tum ex parte, ſeu literaliter tantùm etiam Scripturas intelligimus: Ac perfectè conuerſi, perfectè quoq; mentem ſancti Spi-

 ritus

ritus in ijs perluſtramur. Vt itaq; fatemur, quòd omnes tam hypocritæ, quàm verè ſanctè (qui pro certo ſtatuunt Chriſtum ſaltem in in carne reuelatum, pro genere humano mortuum, & excitatum eſſe) literaliter Scripturas omnes, quibus eiuſmodi quid exprimitur, facilè poßint intelligere: ſic aſſerimus ab æterna Dei mente, ſalutariq; cùm Scripturarum tum Domini, de quò teſtantur hæ, noticia procul arceri, quicunq; iuxta Spiritum & veritatem ad ipſum conuerſi non ſunt: quandoquidem ille cuius noticia quæritur in ijs (teſte Paulo) Spiritus eſt.

Deinde, ſi quis adhuc nihilominus vrget, hæc Apoſtolum de ſuis coætaneis omninò dixiſſe, qui per externam Euangelij de Chriſto prædicationem Chriſto nomen dederant, & ſic ad eum erant conuerſi, quemadmodum & hodie nos omnes, qui de Chriſti nomine, fideq; literali gloriamur, audiat is & aliam eiuſdem Pauli ſententiam, quæ tùm huic eſſet contraria prorſus. Ea legitur 1. Cor. 13. his verbis: Ex parte cognoſcimus, & ex parte Prophetamus: quum autem venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur, quod ex parte

eſt.

eſt. Et mox: videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, quemadmodum & cognitus ſum, & cætera.

Hæc enim particularitas, item hoc ſpeculum & ænigma, quid aliud, quàm velamen illud Moſaicum, alijs verbis reponunt? ſiquidem vtrobiq; noſtra cæcitas, intellectusq; carnis notatur, & vtroq;, tàm ad Corinthios, quàm Exodi, loco redarguimur his verborum inuolucris, quod ſpiritualem, veramq; Dei mentem in Scriptura, noſtris iuxta literam imaginationibus haud aſſequamur. Quoniam vt is, qui rem velatam, ſeu tectam aſpicit, clarè non cognoſcit, ita nec eſſentiam rei, vel rem ipſam à rectè intuetur, qui figuram eius in obſcuro ſpeculo videt, nec apertè verborum ſenſum intelligit, quæ recitari ſibi audit in abſtruſis ænigmatis.

Cùm igitur hic poſt Chriſtum in humano corpore natum, paſſum, excitatum & Corinthijs prædicatum, immò & ab eis fide receptum, Apoſtolus adhuc liberè teſtetur, quod & ex parte tantum, & per ſpeculum in ænigmate cognoſcerent omnia, quæ cognoſcebant,

 an non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

an non apertè videmus, ab hoc velo quoq; Moſis eos haud plenè fuiſſe liberatos? Quanquam faſſus modò ſum, quòd inchoatè fuerint ab eo liberati, ſicut inchoatè tantùm erant ad Chriſtum, nimirum, ad eum in carne reuelatum, conuerſi, nam pro conuerſione fidelium ad Chriſtum (uti dictum) eſt eorundem vel ex parte, vel perfecta lux, ijs autem qui Chriſtum penitus ignorant. Nulla prorſus eſt vera Dei, rerumq; diuinarum ſcientia: ſiquidem in Chriſto omnes Dei theſauri reconditi ſunt, & cum eo paulatim credentibus in conſpectum dantur, veluti pluribus ordine ſigillis de libro Spiritus apertis.

Quarè, qui Chriſtum tantùm ex parte didicit, is etiam Scripturas, & omnes Dei theſauros, bonaq; cœleſtia tantùm ex parte, nimirum, iuxta literam & ceu corporaliter cognoſcit. Vnde, cùm & in Eccleſia primitiua Chriſtus, κατὰ τὸ ἐκ μέρους, nempe corporaliter fuerit Sanctis reuelatus, euidens eſt, quòd Scripturas etiam ij ſaltem ex parte, iuxta literam videlicet, intelligere cœperint: quòdq; adeò Moſaicum illud velamen aliquantulum ijs aut amotum, aut ſaltem at-

tenua-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

tenuatum ſit, vt iam ijs facies Chriſti per illud clariuſculè pelluxerit. Sed quoniam ad b. conſummationem in Chriſti Spiritu, veritateq; æterna tum nondum peruenerant (vt Paulus teſtatur, quòd ex parte tantum, & per ſpeculum in obſcuro verbo, non facie ad faciem, ſeu clarè viderint) omninò ſequitur, quòd nec ab hoc velamine Moſis, naturæq; ſuæ cæcitate plenè liberati fuerint. Immò neq; nunc, ſi quis in Chriſti Spiritu nondum adultus eſt, nec ad menſuram ætatis plenitudinis eius excreuit, plenè Scripturæ mentem, viuumq; Dei verbum vllo modò poteſt intelligere: Quoniam velamen hoc (vt ait Apoſtolus) in Chriſto ſolo tollitur: vt quantum in aliquo veræ, Spiritualiúe ad Chriſtum conuerſioni deeſt, tanto longius etiam num is à pleno, ſpiritualiq; Scripturarum intellectu ſit remotus.

Idem ferè dicendum videtur etiam de velo Templi, quod Sanctum ſanctorum ab exterioribus Templi partibus diſtinguebat, & prohibebat, ne, præter ſummum Sacerdotem, quiſquam ex alijs arcam fœderis, propitiatorium, & Cherubim gloriæ (quæ erant in Sancto ſanctorum) oculis profanis conſpiceret:

vet: quoniam & hoc velum typus erat noſtræ corruptæ carnis, adnatæq́; cæcitatis per quam impedimur, ne conſummatam, & ſpiritualem Dei mentem, æternamq́; veritatem in Scripturis, dum ad Spiritum eius plenè conuerſi nondum ſumus, vnquàm videre queamus.

At nonne velum hoc (inquies) teſtibus Euangeliſtis, in morte Chriſti fractum eſt, vt etiam hac ratione conſtet, nullo iam amplius obſtaculo prohiberi nos à Sancto ſanctorum ſeu à perfecta Scripturæ ſacræ cognitione? Reſpondendum eſt ad hoc, nempe, quod nobis illud per Chriſtum corporaliter, & extra nos morientem ſymbolicè tantùm factum ſit. Siquidem in materiali quidem Templo materiale velum ibi frangebatur: at ideò ſtatim cæcitas humani cordis prorſus abolita non eſt. Verum vbi ſpiritualiter tandem Chriſtus in animis noſtris arcanam ſubit, vel potius operatur mortem, tum ſicuti Domino corporaliter morienti corporeum velum in figura ſciſſum eſt, ita nobis in Domino morientibus, & ſenſum noſtræ carnis, vnà cum Domino per Spiritum ipſius mortificantibus, illud arcanum terrenæ mentis noſtræ velum in

veritate

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

veritate tollitur. Sic operæ precium eſt, inter mortem Chriſti corporeā, & ſpiritualē diſcernere. Nam corporis eius mors, vt & cæteræ ferè omnes actiones, quas exterius viſibilis inter homines egit Dominus, reſpectu quodam, adhuc typi rationem obtinent, quia delineant ſimile quid arcanius in animis fidelium adhuc virtute Spiritus ipſius gerendum. Vt enim arcanè cum Chriſto mori debemus, ita neceſſe eſt, vt per Spiritum eius etiam ſpiritualem vitam viſum, auditum, eloquium, inceſſum, & ſanitatem, aliaq; arcana Dei bona percipiamus.

Atq; id in quocunq; plenè perficitur, is excreuit iam ad menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, ſicut Epheſ. 4. Paulus loquitur: adeoq; &, velut magnus, vnà cum Chriſto, Sacerdos effectus, qui nunc tandem in Sancto ſanctorū ipſe quoq; Deo ſacrificare poſsit, iure ſummi Pontificis veſtibus, nempe Chriſti virtutibus incedit ornatus. Hæc enim hiſtoria de morte magni Sacerdotis, Num. 20. velut ingens myſterium deſcribitur, quòd ſcilicet ille, dum viuit quidem, ſolus in Sanctum ſanctorum, ingrediendi poteſtatem habeat, ſolusq; ſui Pontificatus veſtibus, tunica byſ-

ſina

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

ſina talari, rationali, Ephod, & in pileo nomine Dei, Iohoua, ſupra cæteros Sacerdotes, ornari permittatur: moriens autem priuilegia hæc alicui de filijs ſuis tradere iubeatur: vt is hinc eodem illo, quod pater habuit, officio, dignitateq́ magni Sacerdotis inſignitus declaretur: per quam arcanam hiſtoriam occultè ſignificat Deus, quòd etiam nos, cùm Chriſtus per Spiritum ſuum in nobis morietur, ad virilem eius ætatem in eodem Spiritu peruenturi ſimus.

Quin & aliud myſterium de morte magni Sacerdotis aliquanto lucidius adhuc in eodem libro Numerorum, ca. 35. ſeu penultimo, legitur: quòd videlicet profugi propter cædem innocenter à ſe factam, in vrbibus refugij dictis exulare debuerint, ibiq́ tuti, dum non eas egreſſi fuerint, eſſe potuerint vſque ad mortem ſummi Sacerdotis, quàm diu ſcilicet ille vixit: at, mortuo tandem eo, licuit huiuſmodi profugis, ab vrbibus refugij protinus in ſuam cuiq́ patriam, nemine contradicente, reuerti. Quid igitur hæc ſibi vult imago? Primùm, euidens eſt, in his vrbibus refugij particulares Chriſtianorũ Eccleſias eſſe præfiguratas. In his enim dum ſe continent

homi-

homicidæ non malitioſi, peccatores videlicet agentes pœnitentiam, nec ab ijs per ſchiſmata, vel Sectas, aliquorſum euagantur, ecce, tum ab æterna pœna coram Deo liberi pronunciantur, non propter ſuum opus illud, aut meritum, ſed propter Sacerdotem ciuitatis huius Dominum, hoc eſt, propter Chriſtum pro ſe corporaliter mortuum, & excitatum: quanquam hic ita viuere cenſetur adhuc illis, quoniam adhuc eos in carne quodammodò viuentes, ex gratia ſeruat, & nondum ratione temporis, ad plenam ſui mortificationem adigit.

Verùm vbi moritur tandem hic Sacerdos noſter Chriſtus non ſcilicet iam corporaliter (nam ex corporea Chriſti morte priorem illam gratiam fuiſſe miſeris peccatoribus in confeſſo eſt) ſed arcano modò, cùm nimirùm in Spiritu ſuo nos ad arcanam noſtri mortificationem adigit, hîc noua rurſus, iamq́ multo maiore, quàm prius, libertate donamur: vt videlicet & relictis his vrbibus refugij, tutò, quocunq́ viſum fuerit, etiam in ipſam vſq́ patriam noſtram, hoc eſt, ad Lucis diuinæ conſpectum, bonorumq́ cœleſtium omnium perfruitionem, inuictis aduerſarijs no-

ſtris

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

ſtris omnibus, Dei beneficio, redire poſſimus. Atq; hæc certe iam ſatis declarant, in quanam Chriſti morte velum Templi nobis in veritate frangatur, nempe, non tam ea, quæ facta eſt olim extra nos, quàm quæ nunc, per verbum eius efficacius, & ſpiritualius reuelatum, intra nos fieri debet: Cùm ſic Ieſus iterum voce magna clamans, vt ſcribit Matthæus, expirauit in nobis, id eſt cùm nos, per efficacem, ac ſpiritualem ſuam doctrinam, ad arcanum noſtri mortificationem adegit: en tùm verè demùm nobis velum Templi ſcinditur, vt ad Sanctum ſanctorum hinc liberum habeamus acceſſum: tùm & terra nobis mouetur, petræ ſcinduntur, monumenta aperiuntur, &c quæ omnia myſteriis figuris mortificati cordis effecta depingunt.

Hoc ipſum etiam innuitur, Eſa. 25 verbis his: Et auferet Dominus in monte hoc velamen, quod eſt ſuper faciem omnium populorum, & operimentum, quòd operit omnes gentes: Et præcipitabit mortem in ſempiternum, & auferet Dominus lachrymas ab omni facie, & opprobrium populi ſui remouebit de vniuerſa terra, quia Dominus locu-

tus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

tus eſt. Quanquam enim in hoc textu quidam exiſtimant, vniuerſalem corporum reſurrectionem prædici, & intelligunt per velamen & operimentum hoc veſtes mortuorum faciebus obuolui ſolitas, nos tamen (etiamſi nihil illis præiudicatum volumus) nihilominus in huiuſmodi mortuis, eos intueri malumus, qui veram animæ vitam, Chriſtum, eiusq́; viuificum verbum, ac Spiritum non habent: Nam & horum faciebus, (aut cordibus potius) eſt obuolutum velamen, & operimentum non veſtis lineæ, ſed craſſa de rebus terrenis imaginatio per quam impediuntur, ne veri quicquam in æternum, donec manet ea, de mente voluntateq́; Dei videant. Hanc Deus promittit ſe tandem à cordibus omnium credentium in ſublimi ſpiritualis Eccleſiæ monte, Spiritu ſuo videlicet, ablaturum eſſe. Quapropter et Luce tum noua donati ſancti mortem quoq; vincent, ac proſternent in perpetuum. Quisquis enim Chriſtum verè nouit, æternam habet in eo vitam. Atq́; talibus etiam tum lachrymas omnes ab oculis abſterget, vniuerſumq́; luctum auferet, & luctus cauſam, nimirum opprobrium, id eſt, vicioſitatem, ac peccatum omne delebit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

delebit, Quare tùm verè Deum celebrabunt, ac de eo lætabuntur, vt in textu deinceps apud Eſaiam prolixè ſubycitur.

Antea, dum nobis adhuc ſecundum carnem viuentibus hæc promiſſio nondum impleta fuit, per noſmetipſos à conſpectu Dei, luceq́ perfecta ſetruſi ſumus. Vt ſuauiſſimè dicitur in Cantico Canticorum cap. 2. Cùm loquitur ibi Spiritus in hanc ſententiam: En, ipſe ſtat post parietem noſtrum, proſpiciens per feneſtras, exerens ſe de cancellis, &c. ſiquidem hic paries noſter non modò depingit humanam in Chriſto naturam, quæ diuinitatem, & maieſtatem eius occultare viſa eſt, ſed imprimis carnalem, cæcum, & prauum noſtri cordis oculum ſeu intellectum. Cùm enim in verbo ſcripto nos alloquitur adeſt quidem ipſe, ſed à nobis, dum in myniſterio tantum literaliter loquentem eum audimus, haud quaquam vere conſpicitur, vel qualis eſt in Spiritu veritateq́ ſua, cognoſcitur quia terrenam noſtri cordis imaginationem illis etiamnum ſequimur: adeoq́ rectè Spiritus ſanctus eum ſtare ſcribit poſt parietem noſtrum, ac ſi diceret: ipſe quidem ſe vobis in

ſcriptus

ſcriptura videndum offert, ſed vos ei murum ſeu parietem opponitis, & vobis ipſimet eſtis impedimento. Si parietem illum veſtrũ, nequam oculũ, duplicem animum fallacẽ viſum, humanam ſcientiam, terrenum intellectum, & peruerſam voluntatem, in ſancta veſtri mortificatione demoliremini, mox, en, deſiderabilem illum veſtrum Sponſum, Dominum, & Seruatorem coram aſtare vobis, & mirandam ſuæ diuinitatis Lucem, & gloriam præ ſe ferre, conſpiceretis: At quàm diu permanetis in carne veſtra viuentes, & ſecuri nec in vniuerſum à vobismetipſis ablactati, ſeu abalienati eſtis, tàm diu carnis veſtræ parietem hunc ſponſo veſtro dementer opponitis, quo & à vobis illum abercetis, ſeu excluditis, & ei perfectè neutiquàm vniri, ſeu eo frui, poteſtis.

An igitur (dixerit aliquis) pij nihil hoc imperfectionis tempore de Deo, Chriſtóq; Spiritu cognoſcere poſſunt? Poſſunt quidem aliquo modo, ſed minimè perfectè: modus autem ille mox hîc à Salomone deſcribitur hac addita correctiuncula: proſpicit per feneſtras, & exerit ſe de Cancellis. Innuit enim Spiritus ſanctus his verbis, quòd in craſſo,

 denſo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

denſoq́; illo muro noſtræ carnalitatis, ex im-
menſa miſericordia ſua Deus, in paruulorum
gratiam, etiam feneſtras quaſdam, & Can-
cellos habeat, è quibus veluti proſpectat, & ſe
rudibus quoq; conſpiciendum, licet obſcurius,
exhibet. In his feneſtræ ſunt verbum exter-
num, Propheticaq́;, & Apoſtolica de mente
voluntateq́; Dei teſtimonia. Per hæc enim et-
iam imperfectionis temporibus aliquam de ſe
credentibus aſpirauit efficaciam, & ſe quo-
dammodò videndum præbuit. Nec aliter hi
cancelli depingunt ſigna Sacramentalia, quæ
ſunt inſtar verbi viſibilis: quoniam in his
quoq; Deus, & in his imprimis, ad tempus,
efficax eſſe voluit.

Quanquam igitur obſtaculum carnis,
& murus ingenij terreſtris hactenus in cor-
dibus plerorumq; fidelium nondum plenè fra-
ctus, ac deſtructus fuit, vt clariſſimè Spon-
ſum de foris pulſantem non tantùm non vi-
dere, ſed nec in thalamum ſui cordis, æter-
num inhabitatorem, introducere poſſent,
vtrunq; tamen, & vel obſcurius per media
quædam externa, per verbi literam, & Sa-
cramenta viſibilia, fide nondum explicita,
viderunt illum, & audiuerunt, eiusq́; ſalu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

tarem aliquam tempori conuenientem ſenſerunt efficaciam, ſed plenè, perfectèq; eo frui, nondum illis donatum eſt, ne primi ſine nouiſsimis, qui (ſecundum promiſsionem erunt primi) glorificarentur: id quod Apoſtolus etiam, Hebr. 11. Futurum eſſe negat.

Ideò Chriſtus Dominus, in æternũ benedictus, initiò nobis vt puerulus, naſci voluit, quoniã inchoationis tempore nos in eo puerulis adhuc ſumus aſsimiles, et puerilia, teſte Paulo, tum loquimur, ſapimus, & ratiocinamur: ad virilem autem Chriſti ſcientiam, & affectum haud pertingimus. Idcircò Chriſtus, Luc. 2. in hiſtoria de aduentu eius in carnem, admodum conuenienter, primùm, infantis forma nbois aperuiſſe commemoratur. Deinde ſcribitur fuiſſe tum & faſcijs inuolutus, ea planè ratione, quà paulo antè velamine Moſis faciem, & velo Sanctũ ſanctorum fuiſſe coopertum, ſtareq; poſt parietem noſtrum, ipſum Chriſtum audiuimus. Quia enim nos intellectu ſenſuq; paruuli ſumus, conſummatam eius lucem abſq; inuolucris nullo modo capere potuimus. Tertiò commendatur Chriſtus ibidem paſtoribus, quod iaceat in præſepio, nimirum in ſacro verbi ſcripti miniſterio quo

pabulum animæ, ſed craßius adhuc nobis velut iumentis proponitur. Hîc tempore inchoationis Chriſtus inquirendus, & inueniendus eſt: quanquam etiamnum tùm iacet, id eſt, conſummatam, & plenè ſpiritualem ſuam virtutem ibi nondum exerit, ſed poteſtatem ſuam adhuc occultat, vt infantulus inuolutus elementaris literæ faſciolis.

At paulatim excreſcere vult in virum perfectum, ac tum remotis faſcijs puerilibus, immò & veſtibus omnis generis nudus ex cruce pendere nobis oſtendetur, in certam admonitionem, quòd nos quoque tandem in eo grandiores effici, ſeu pleniorem & magis virilem intellectum concipere debeamus, idq; per ſanctam crucem & arcanam noſtri mortificationem.

Vt enim terra nulla bonam & optatam colono ſegetem profert, niſi ligonibus, aut aratro proſciſſa fuerit, & inuerſis glæbis, priſtinam noxiarum herbarum viriditatem in atrum terræ ſquallorem commutauerit, ac prorſus amiſerit, ita nos quoq; Deo manemus omninò ſteriles, donec vitam, & ſecuritatem carnis, vnà cum ſuis vitijs, obtinere volumus. Hinc Prophetæ, Ieremias, & Hoſeas, inui-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

inuitant nos ad veram animi conuerſionem his ferè verbis: Nouate vobis nouale, & noli-te ſerere ſuper ſpinas, circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum, &c. Qua ſimilitudine monent, vt cor noſtrum diuinitus innouari nobis, &, velut aruum, arari, ſpinarumq́ſeu prauorum affectuum videntia, prius inuerſum, hoc eſt, mortificatum, liberari ſinamus, quò iam nouus ibi, cœleſtisq́; iuſticiæ fructus expeditè germinet.

Hæc etiam iuſticia diuina, luxq́; ſpiritualis pulcherrimè præfigurata eſt in terra Canaan Iſraelitis promiſſa, quatenus ijs à ſeptem gentibus profanis erat expurganda. Sed eam Iſraëlitæ ſub Ioſua prius haud ingredi potuerunt, quam aquas Iordanis (in quibus adumbratur veteris hominis mortificatio) contra ſpem in ſpem tranſierunt. Illas autem transgreſſi, nimirùm hac mortificationis anguſtia ſuperata, terrã obtinent promiſſam, etiã de frugibus huius noua terræ comedunt, illo ſicco deſerti cibo, nempe mãna (quod pingit literam externi verbi) deficiente. Nam guſtabunt ibi Sancti, de terra, iuxta ſe proueniens illud arcanum verbi diuini

 triti-

triticum: quòd per Chriſti Spiritum in terrenis eorũ cordibus illic excreſcet. Atq; tum & denuò, nempe ſpiritualiter circumcidemur, et ſeptẽ gentes Canaan, hoc eſt, vniuerſum peccati regnũ, in nobis expugnabimus.

Nec tantùm hæc arcana noſtri mortificatio ſic in Scripturis pingitur, ſed etiam apertis verbis nuſquam ferè non à Paulo, & ipſo Chriſto, Matth. 16. Iohan. 12. Roma 6. Coloſſ. 2. & 3. & alibi paſsim ſuadetur: quia vetus hæc noſtra caro, & ſanguis, id eſt, intellectus humanus non mortificatus, coram Deo conſiſtere nullo modo poteſt: ſicut atteſtatur & hoc Domini dictum, Exod. 33. Non videbit me homo, & viuet, vel dum viuet, nimirum, in carne ſecurus, & non ſibi mortuus. Profectò tales omnes à facie Dei procul ſemoti ſunt: at quicunq; ſe in Spiritu Chriſti mortificauerunt, hi ſoli nouis donati ſunt oculis, hi ſoli diuinitus illuminati, mirabilia de lege Dei contemplantur, Deiq; faciem coram intuentur.

Neque enim hoc in illo Domini dicto pronunciatur, fieri nullo modo poſſe, vt quiſquam hominum, dum in corpore viuit, ad veram, plenamq; Dei cognitionem euehatur.

tur.

tur. Nam initiò ſaltem ante lapſum, non ad corporis huius diſſolutionem, ſed ad imaginem, & ſimilitudinem Dei creati fuimus. Vnde manifeſtum eſt, quod hæc moles, & fabrica corporis humani non impediat, quo minus vere coram Deo verſemur, plenéq; eius mentem & indolem contemplemur: Sed id ne fiat, peccatum habitans in carne noſtra prohibet. Quare deſtructo peccato carnéq; plane mortificata, remota ſunt, quæ fuere prius obſtacula.

Atq; talis vitæ mortiśq; ſignificatio frequens eſt in Scripturis, vt ſcilicet ad carnis, & peccati regnum, non ad naturæ quatenus à Deo recte condita eſt, deſtructionem referenda ſit. Quapropter & in illa miranda lepræ ſpecie Leuitic. 13 (quæ, dum corpus vniuerſum, vt ſuprà quoq; dictum, perrepſit, ac nullam in eo viuam carnem reliquit munda tùm demùm aſſeritur) caro, ſeu vitioſitas hominis omnino mortificata ſignificatur. In hac enim cum aliquid viuum, ſeu ſecurum inuenitur, homo damnationi ſubiacet. At hic vbi veram agit pœnitentiam, & in totum ſibi moritur ab omnibus, quæ habet, peccatis, propter Chriſtum, eiuśq; Spiritum in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

in ipſo tùm efficacem, abſoluitur. Hîc enim viua caro iuxta textum quidem ſanam innuit, at iuxta mentem Spiritus, exprimit carnalem in homine profano ſecuritatem.

Nec aliter in hac ſententia: Non videbit me homo, dum viuet, vita veteris hominis, & ſecuritas in carne damnatur atque à conſpectu Dei procul ſemota pronunciatur. Si verò mors hæc arcana ſuppreſſerit in nobis veterem hominem, eumq́ omni prorſus intellectu ſcientiaq́, & voluntate humana, ſeu deſiderio, & cupiditate priuauerit, ſtatim nobis per Spiritum & vitam Chriſti noua lux affulget: in qua tantopere quoq paulatim creſcere poſſumus, vt ſpiritualiter tandem Deum videre, mentemq́, & voluntatem eius cognoſcere queamus.

Ideò planè felices habendi ſunt, quicunq mortem hanc arcanam, hoc eſt, mortificationem ſui, ſubire ſuſtinuerint: vt in Apocalypſi quoq, cap. 14. declaratur hac ſententia: Beati mortui, qui in Domino moriuntur poſthac: vtiq dicit Spiritus, quia reo quieſcent à laboribus ſuis, & opera ſua ſequentur eos. Quam ſententiam vſitatè,

fateor,

ſateor, exponere ſolent de iјs, qui corpoream hanc vitam in externa confeſſione, & inuocatione Chriſti finierunt: Sed in contextu magis arcana mors apertè ſignificari videtur, primùm, quia moriendi verbum hîc non legitur in præterito: Beati, qui mortui ſunt (neque enim in græco eſt: οἱ ἀποθανόντες, vel τεθνηκῶτες, ac ſi non amplius iam eſſent in actu moriendi, ſed in præſenti tempore: οἱ ἀποθνήσκοντες, id eſt, qui moriuntur) in Domino: qua phraſi ſignificatur mors adhuc durans, & in actu perſeuerans: qualis eſt Sanctorum, non, qui mortem corporis pridem ad breue temporis momentum perpeſſi, nunc refocillantur, ſed qui, dum ſunt adhuc in corpore hoc, aſſidua cum grauiſſima ſui mortificatione conflictantur.

Deinde ſubiecta vox: ἀπάρτι, poſthac amodò, ſeu deinceps, oſtendit etiam, hoc loco verba fieri de aliquo mortis genere, quod anteà non fuerit in vſu: Mors autem corporis ab initio regnauit, & ſuas vires exeruit in omnes, qui vnquam in hoc mundo vixerunt, præter Henoch, & Heliam. Nec defuerunt & olim Sancti, qui cum inuocatione di-

uini nominis diem ſuum obierint: adeoq́; beatitudinem hanc nobiſcum obtinuerint. Cur igitur hîc ſubijcitur particula: poſthac ſeu amodò, cùm nunquàm ſe res aliter habuerit? nam Chriſtus eſt Agnus ab initio mundi mactatus, quemadmodum in hac eadem Apocalypſi, paulo ſuperius dicitur: vt, quiſquis vnquàm in eum credidit, propter eum à peccato ſuo abſolutus, & iuſtitia donatus per mortem corpoream intrauerit in requiem ſuam.

Verùm hæc arcarna mors felicem nequit habere progreſſum, antequam Chriſtus glorificatus eſt, ſeu glorioſus in verbo ſuo nobis illuxit: Vt & illud, Apocal. 9. de Antichriſti tempore teſtimonium indicat, quòd etiam in diebus illis mortem homines quæſiuerint quidem, ſed non inuenerint, quodq́; à deſiderantibus mori, nimirùm, hoc arcano modo, mors aufugerit, & illos in ſuperſtitione ſua fruſtrata ſit. Quare meritò Sanctis non ſub veteri teſtamento, nec etiam in inchoatione noui, quando ferè maiorem adhuc Antichriſtus, quàm ipſe Chriſtus, habuit reſpectum, & authoritatem, ſed poſt Antichriſti demum reuelationem, & oppugnationem, adfertur

fertur

fertur hic lætus nuncius, quòd per arcanam ſui mortificationem verè nunc ad æternam lucem, requiem, vitam, pacem, & beatitudinem peruenire queant: ſicut additur: quia requieſcent à laboribus ſuis, quoniam externi ſcilicet amplius nihil tum reſpicient: attamen opera ſua, ſponte ſequentur eos, dum ad iuſticiæ fructus declarandos per nouam è Spiritu Christi vitam, ac naturam vltrò ferentur, & procliues erunt.

Idem dici poſſe videtur & de dicto Pſalmi 116. precioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius, cum etiam illic in hebræo poſita vox מַוְתָה *pro* מָוֶת, *per additam literam* ה, *mortem ſpiritualem, diuq́; in hac vita durantem, veluti digitulo, nobis monſtret: & de ſententia hac in Pſalmo 143. Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens, in carne ſcilicet veteri non mortificata. Sed, ne prolixitate modum excedamus, receptui tandem canendum. Hoc enim iam hîc mediocriter oſtenſum eſſe ſpero: quòd, vt Plato ſapienter docet, Philoſophiam eſſe mortem quandam, & mortis meditatio-*

tatio-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

tationem: quoniam, in contemplatione rerum á corpore Philoſophi quodammodò recedunt: ita multò rectius diſcamus in Schola Chriſti, veterem in nobis hominem, καὶ τὸ φρόνημα τῆς σάρκος eſſe mortificandum ſi vere quicquam de Deo, rebusq́; diuinis intelligere cupimus, quia citra nouam natiuitatem (in qua veteris hominis mors, & noua Chriſti vita concurrere debent) meræ tenebræ ſunt, quicquid huius mundi ſapientes, & eruditi ſecundum literam vident, aut videre ſe ſomniant.

Non tamen hoc dicere voluimus, quòd eruditio, ſtudiumq́; literarum, linguarum, & artium bonarum ſit prorſus inutile: quin & hæc nos quidem laudamus, proq́; modulo noſtro libenter omnibus viribus iuuamus & promouemus, dum ſuo loco manent, nec pro Deo, diuinaq́;, & ſpirituali ſcientia ſe venditant. Idcirco, dum tempus fert, hac ratione quoq; præparemus nos Deo, diſcamus artes & linguas vtiles, reddamus nobis & Scripturam tam propheticam, quàm Apoſtolicam omninò familiarem. Sed caueamus nihilominus, ne nobiſmet hinc placeamus, tanquàm

quàm verè coram Deo ſapientes, quiq́ꝫ æternam Dei mentem, & voluntatem in Scriptura comprehenſam ſolidè nobis iam (etiamſi vitæ fuerimus omninò profanæ) perſpectam habeamus: cùm ea ſolis ijs reueletur (vt hîc audiuimus) qui per arcanam ſui mortificationem, ad nouam Spritus Chriſti vitam ex Deo nati ſunt.

Propterea demus imprimis operam, vt cognoſcamus veram viam ad veram de Deo, menteq́ꝫ diuina ſcientiam, ſciamus, initium veræ ſapientiæ eſſe timorem Domini: & ſi quis poſt Chriſtum venire, nimirùm Chriſti fieri diſcipulus, & veri quicquam ab eo diſcere cupit eſſe tum imprimis, teſte Domino, neceſſarium, vt is abneget ſemetipſum tollatq́ꝫ crucem ſuam, & in omnibus præceptoris, ac Domini ſui veſtigia ſequatur, id eſt, vt ipſe quoqꝫ ſit mitis, & humilis corde, ſit Spiritu pauper, oneratus peccatis, afflictus, lugens, iuſticiaq́ꝫ eſuriens, ac ſitiens: vt ipſe quoqꝫ ceu tritici granum in terra ſepultum, in omnibus Domino ſuo præſto ſit, &, ſicut ille, verſetur in hoc mundo, quemadmo-

admo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

admodũ ſcribitur & in 1. Iohan 4 nam, vt ille ſe ſponte ſua prius humiliauit, & ad mortem acerbam, crucemq́ probroſiſſimam compoſuit, quàm gloriam ſuam intrare potuit, ita nos quoq; , niſi nobiſmet in ipſo mortui fuerimus, ad vitam, beatamq́ lucem & gloriam eius nequaquam habemus acceſſum.

Quamobrem auditores humaniſſimi ſi verè mens nobis ac deſiderium eſt ad ſanctam perueniendi ſapientiam, & verum Scripturarum intellectum, ſalutaremq́ diſcendi theologiam, quæramus illam apud Deum in veræ pietatis, vitæq́ ſanctæ ſtudio, ſciamus, noſmet ex nobis eius eſſe planè rudes, & ignaros, immò noſtram terrenam, carnalem, humanamúe ſcientiam illi prorſus eſſe contrariam, & infenſam. Hanc igitur abnegemus, & mortificemus, de proprijs deſperemus viribus: noſmet ipſos, tanquàm verè coram Deo mortuos, ac damnatos, ipſi quoq; damnemus, & per omnem hanc vitam lugeamus: ità demùm in morte vitam, & in denſiſſimis tenebris lucem veram obtinebimus: ità demùm, & non anteà diuini-

tus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

tus illuminatis noſtræ mentis oculis, mirandam lucem in doctrina Spiritus contemplabimur, & efficaciter DEI laudem, & ſalutarem ſcientiam inter homines deprædicare poterimus: tum demum & hæc ſtudia, ſcholaſticaq́ exercitia noſtra, benedicta, ſanctificataq́ diuinitus, finem ſuum in Eccleſia Dei conſequentur, & fructum vberrimum factura ſunt.

Humiliter oramus te Deus, ęterne Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Domine cœli & terræ, qui myſteria regni tui cœleſtis abſcondis à ſapientibus, & prudentibus iuxta carnē, ac ſolis reuelas ea paruulis, qui ſe pro rudibus & inſipientibus in veritate gerunt, tuosq́; vnius ad pedes, in ſchola tua ſpirituali, nimirum in vera pœnitentia, ſalutarem lucem, ac ſcientiam tuam inquirunt: Da nobis propicius, vt

per

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

per arcanam noſtri mortificationem his annumerati, non mundi, ſed tuam amamus vnicè Sapientiam, eamq́; feliciter, in verbo tuo viuifico, ſanctoq́; Spiritu, nouis donati diuinitus oculis, & ipſi percipiamus, & alijs quoq; non refragantibus efficaciter commendare ſciamus, propter Dominum, Regem ac Seruatorem noſtrum, Ieſum Chriſtum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus in omnem æternitatem, Amen.

DIXI.

FINIS.

Deo ſit laus.

ORA-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

ORATIO TERTIA DE MYSTERIO TRIVM PATRIARCHARVM, PRAEMISSIS duabus publicè recitatis, appendicis loco, ſubiuncta.

ADMIRANDA PROFECTO clariſſimi viri, Studioſiq; auditores, eſt ſancti Spiritus, in Eccleſia Chriſti depingenda diligentia, dum non tantùm in creaturis propemodum omnibus eam velut oculis fidelium tàm apertè conſpiciendam exhibet, ſed etiam in Biblicis cum ritibus, quos Moſi plurimos in monte Synai, propter hunc inter alia, finem, dum veritas eorum nondum eſſet patefacta, ſtudioſe præſcripſit obſeruandos, tum hiſtorijs, geſtisq; Patriarcharum, & prophetarum, quos præ cæteris pijs elegerat, & illuſtri loco verſari volebat: horum enim plerorumq; mirabiliter ita direxit actiones, vt in ijs non modò pium ſuum erga Deum declarauerint animum, ſed etiam pariter ignari ſæpè prædepinxerint, quid in Eccleſia ſæculis poſterioribus mali, boniue eſſet euenturum. Quapropter ex vitis trium Patriarcharum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

Abraham, Iſaac, & Iacob, quos omnino fideles, Deoq; acceptos fuiſſe cognoſcimus, operoſius aliquanto perſcrutari, quomodo totius Eccleſiæ progreſſus in ijs depingatur, hic aperte, breuiterq; Deo propicio, declarare conſtituimus.

Quod autem nequaquam humana temeritate, contraq; mentem Sancti Spiritus tractandum nobis hoc argumentum ſumamus, luce clarius eſſe poteſt etiam ex ijs, quæ Paulus Apoſtolus manifeſte ſcripta nobis reliquit. Galat. 4. de familia primi Patriarchæ Abrahami. Sic enim eam explicat ibi, ne pius Lector vllo modo dubitare poſſit quin & in Hagar ancilla, filioq; eius Iſmaele Deus nobis vetus teſtamentum, vna cum hominibus, qui ſub eo vixerunt: & in Sara filioq; eius Iſaaco nouum pactum ſaltem inchoatum, ac ſimul Eccleſiam hac luce donatam, imprimis tamen Chriſtum, eius Caput, admodum ſeriò, graphiceq; prædelinearit. Loquitur enim illic Apoſtolus primum in hunc modum: dicite mihi, qui ſub lege eſſe vultis, legem non auditis? commendans ita ſuam, quam ſubiunget explicationem, dum eam & Legem, id eſt, ſacram ſcripturam, appellat, & à pijs omnibus neceſſariè, cupideq; audiendam, & velut indubitatam, fideq; digniſſimam, diſcendam & recipi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

recipiendam ſignificat. Hinc ad ipſam rem progreſſus Paulus adijcit: Scriptum eſt enim, Abrahamum habuiſſe duos filios, vnum de ancilla, & alterum de libera: Sed qui de ancilla fuit ſecundum carnem natus erat, qui vero de libera, per promiſſionem, hiſtoriam hactenus tantum ſuccinte recitans.

Ex qua dehinc idem Apoſtolus, mentem Spiritus enucleaturus initio memorabile ponit hoc fundamentum: Quæ ſunt inquiens, allegoricè dicta, vel græce ſignificantius ἅτινα ἐστιν ἀλληγορούμενα, ſenſum videlicet allegoricum, ſeu arcanum in ſe continentia. Qui locus inſignis apertè docet, minimè verum eſſe, quod nunc in Eccleſiam inuehitur, quaſi videlicet omnes allegoriæ ſint mera nugamenta, vel ſaltem ceu floſculi quidam rhetorici, quos animi gratia quis adhibeat, non vt aliquid ijs probet, aut conuincat, ſed vt orationem ſuam ita ſolum nonnihil variet, ſeu locupletet, & exornet: vt verbis vtar magni cuiuſdam viri, qui ſæpe quidem & ipſe multas exponit hiſtorias allegorice, nec prorſus infeliciter, ſed nihilominus pro luſu quodam hoc ipſum habendum eſſe, nimis audacter meo ſanè iudicio, pronunciat. Nam fateor quidem allegorias multorum, qui ſcripſerunt in hunc vſq; diem, eſſe tales, vt pro firmis demon-

ſtrationibus, aut certa ſcripturæ ſacræ mente neutiquam haberi debeant, eò quod conſummata veritas ijs nondum ratione temporis fuerit reuelata: Sed ideo de omnibus explicationibus allegoricis etiam eorum, qui, docti diuinitus mentem Spiritus omnino perſpectam habent, citra vllam exceptionem aſſerere, quod nihil ijs probari poſſit, etiam apud fideles, palam, vt moderatiſſime dicam, iniuria Spiritui ſancto temeritas eſt.

Paulus enim à Spiritu ſancto verè doctus incunctanter hic pronunciat, aliquot ſaltem in ſacris Biblijs hiſtorias à Deo ſic eſſe directas, & gubernatas, vt nonnihil in ijs ipſe clàm pinxerit, quod à Sanctis allegoricè tantùm intelligendum ſit, & allegoricè demum explicatum: verè perſpectum eſſe, iudicetur, dum de hac Abrahami coniugumq;, & liberorum eius hiſtoria, tàm apertè liberèq; aſſeuerat, quòd, quæ circa eam leguntur, ſint ἀλληγορούμενα, quæ ſcilicet occultè, ſeu arcano ſenſu pijs aliud quid commendent, quam rudibus externa verba ſignificant. Sicut igitur hanc Patriarcharum hiſtoriam, quiſquis ita tractat, vt allegoriam in ea nullam adhibeat, nec ex ea quicquam eruat arcani, nequaquam explicuiſſe plenè cenſetur: omiſit enim id, quod Apoſtolus, à Deo, doctus, hic apertè, di-

uinitus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

uinitus Eccleſiæ commendatum affirmat, dum eam ἀλληγορουμένην eſſe teſtatur: ita de plurimis alijs in ſacra ſcriptura locis eſt iudicandum, quod ab ijs demum verè, pleneq; explicentur, qui, quod occultè Deus in ijs aliquando futurum eſſe præmonuit, oportuno tempore, iuxta mentem Spiritus, erutis allegorijs, in lucem proferre deprehenduntur. Sed allegoricam Pauli explicationem tandem audiamus.

Hæc enim (inquit) ſunt duo teſtamenta.] Videte iam auditores optimi, quàm liberè procedat in his Apoſtolus, neq; enim ait: hæc pingunt, vel ſignificant, vel adumbrant, quemadmodum nos, de mente Spiritus nondum vſq; adeò, fateor, certi ferè loqui ſolemus: verum ipſe, ne quis hanc eius explicationem, vt Luſum, vel rethoricum ornatum, parui, faciat, abſq; omni prorſus hæſitatione dicit: hæc ſunt, duo teſtamenta: q. d. hæc præcipuè ſic intueri debetis, quod vobis Deus in ijs duo teſtamenta cogitanda propoſuerit: Quoniam itaq; mens & propoſitum Dei fallere nullo modo poteſt, hinc Hagar & Sara, quanquam natura fuerunt homines, arcano tamen, & velut ſacramentali quodam ſenſu nobis omnino ſunt, certiſſimè nimirum in ijs, quæ nutu diuino geſſerunt, quæq; Spiri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

tus ſanctus de ijs poſteritati tradenda putauit, ſignificant duo teſtamenta, vetus nimirum & nouum. Sed audiamus etiam, quomodo Paulus eadem illuſtret, his mox adiectis:

Hæc ſunt duo teſtamenta, vnum quidem à monte Sinai in ſeruitutem generans, quæ eſt Hagar (Sina enim eſt Mons in Arabia, confinis ei, quæ nunc celebratur, Ieruſalem) & ſeruit cum filijs ſuis. Illa verò ſuperna Ieruſalem eſt libera, quæ mater noſtra eſt, Scriptum enim eſt (Eſa. ſcil. 54.) Lætare ſterilis, quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis: quia plures ſunt filij deſertæ, quàm eius quæ habet virum.] Hoc textu, Scripturis allegatis, demonſtrat Paulus, quod Eccleſiam per omnia ſimilem oporteat inueniri Saræ, quæ primum quidem diu ſterilis fuit at poſteà tamen ità fœcundata eſt, vt eius poſteri tandem Stellarum, & arenarum exuperaſſe ſcribantur numerum: idq; non vi carnis, aut iuxta communem naturæ curſum (hæc enim in ea, tum nonagenaria, velut emortua prorſus erat) ſed vt diuinæ promiſſionis: Quare ſubijcit mox Apoſtolus, & pios in Eccleſia futuros, vnà cum Iſaaco, filios promiſſionis, qui ſcilicet quicquid habuerint, ex mera Dei gratia conſecuti ſint, dum ita ſcribit: nos autem fratres ſecundum Iſaac, promiſſionis filij ſumus &c.

Sed

Sed (inquit vlterius) quemadmodum tunc is, qui ſecundum carnem natus erat, perſequebatur eum, qui ſecundum Spiritum erat, ita fit & nunc. Cæterum quid ſcriptura dicit? Eijce ancillam, & filium eius neq; enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ, quare fratres nos non ancillæ filij, ſed liberæ ſumus, &c. Legitur autem hæc hiſtoria, cuius poſtremo loco mentionem hic facit Apoſtolus, Gen. 21. de qua certe Iudæo carnali nunquam huiuſmodi quid in mentem venerat, quia ſimpliciter enarrat, quid in Abrahami familia geſtum ſit, quomodo ſcilicet Iſmael amarulentius, & malicioſius cum Iſaaco fratre ſuo luſerit, & hinc ex domo paterna ſit eiectus: At quam confidenter in his Apoſtolus, monſtrante viam Dei Spiritu, progreditur? quam acutè colligit ex illo puerorum luſu ſecus haud poſſe fieri, quàm, vt à Iudæis Chriſtiani perſecutionē, ferant, q; incunctanter etiam ex his, perſecutores illos, vnà cum fidelibus haud Regni cœleſtis hæredes fore, ſed eorum destructa politia reijciendos à Deo, populiq; electi nomen amiſſuros eſſe, pronunciat:

Quoniam itaq; S. Paulus in his viam nobis tam expreſſè monſtrauit, quanquam aliud habens præ manibus, in Epiſtola videlicet quam & breuem eſſe volebat, & de maximis rebus inſtituerat, non ſpero ſtudium hoc

noſtrum, quo nunc aliquanto latius eadem & velut ex propoſito, piorum in vtilitatem, examinare, clariuſq; enucleare ſtatuimus, ab vllo non prorſus malicioſo reprehendendum eſſe. Quamobrem etiam, inuocato Dei nomine, iam ad hoc agendum accingamur. Ne tamen à vero ſenſu, quem S. ſanctus his inuolucris intendit, aberrare forſan & pro Dei mente noſtras humanas cogitationes ex ijs eruere, meritò cuiquam videri poſſimus, explicationem Apoſtoli, velut Cynoſuram quandam intuebimur: nec extruemus ex his ea, quæ non nullos ex veteribus proferre videmus: vt ſcilicet Abrahamus nobis inſtitutionem, Iſaacus naturæ bonitatem, & Iacobus meditationem, tanquam in progreſſu pietatis neceſſaria bona depingat (hæc enim Philonis Iudæi Philoſophia fuit: ſicut alij quoq; virtutes ferè morales & nonnulli mathematicas quoq; theorias in his contemplati leguntur) ſed omiſſis huiuſmodi, nos, vti dictum, vnicè Pauli modum & progreſſum, tanquam Ariadnæ filium, ſequemur.

Hoc eſt (vt clarius adhuc id, quod proponimus, intelligatur) ea, quæ Paulus explicuit, ita prorſus, vt ab illo ſunt explicata, relinquemus: Alia verò, quæ non attigit ipſe (quia non erat eius propoſitum, omnia per-

ſcrutari.

ſcrutari nec ætas eius in poſtremum illum ſæculorum finem inciderat, quem in poſterioribus patriarcharum hiſtorijs etiam S. ſanctus, pulcherrimo progrediẽs ordine prædelineare voluit) ſic Apoſtolicæ, iuuante Deo, ſubiungemus expoſitioni, ne præmiſſis, ad inſtar panni diſcoloris, aſſuta, ſed ex ijs nata prorſus ab æquo cenſore iudicentur: nempe, quæ commentatus is eſt in Abrahami quidem familiam, ad vetus teſtamentum nouiq; inchoationem, id eſt, ad tempus, quo Iudæorum Synagogæ, prædicantibus Apoſtolis, Eccleſia Chriſti palàm opponi cœpit, vnà cum ipſo, referemus: Iſaaci verò domum de ſolis iam Eccleſiæ membris exponemus.

Ac de Abrahami quidem, & Iſaaci myſterio, quæ S. ſanctus nobis in Geneſi commendat, ex Apoſtolo Paulo mediocriter illuſtrata iam anteà vidimus: eſtq; eorum ſumma, quòd vt Abrahamus ipſum Deum æternum Chriſti patrem in pleriſq; ſuis actionibus repræſentat, duæq; eius vxores, Hagar, & Sara duorum & quidem plurimùm inter ſe diſcrepantium teſtamentorum ſunt imagines, illa veteris, hæc noui: ſic & earundem filij, qui fuerunt Iſmael, & Iſaac, duos diuerſos admodum inter ſe populos depingant. Iſmael quidem carnales Iſraelitas, & Iudæos incredu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

los, Iſaacus verò Chriſtianos, hoc eſt eos homines, qui nouum Euangelij de Chriſto pactum amplexi ſunt: & inprimis horum caput, ipſum videlicet Chriſtum.

Atq; hinc melius iam intelligi queunt ea, quæ legimus de Abrahamo. Gen. 21. quod filio ſuo Iſaaco ablactato grande fecerit conuiuium, nempe, quòd æternus pater Euangelium de filio ſuo Chriſto paſſo & excitato fidelibus in toto terrarum orbe magna cum gratia, non ſine miraculis etiam admodum illuſtribus annunciari curauerit. In quo celeberrimo Dei, Chriſtiq; conuiuio, cum Iudæi nimis hoſtiliter fidelibus in Eccleſia, Chriſti nomen amplexis, illuderent, hoc eſt crudeliter eos terra mariq; perſequerentur, Deus in Abrahamo depictus, eos, vna cum incredula Synagoga, matre ſua, totaq; politia Moſaica, repudiauit, & velut è Domo, ſeu familia ſua depulſos eos, nihil amplius ad ſe pertinere declarauit. Sic & poſtea cap. 24. Dei typus eſt Abrahamus, cum ſeruum ſuũ emittit ad quærendam Iſaaco filio ſuo Sponſam. Etenim in hunc modum Deus emittit, docet, vngit, & inſtruit ſynceros Euangelij Myniſtros, qui Chriſto ſuam colligant Eccleſiam: quam figuram & paulo poſt fortaſſe repetere cogemur inter Iſaaci myſteria, de quibus etiam

tempus

tempus eſt, vt Abrahamo dimiſſo, loqui nunc incipiamus.

Hic igitur Iſaacus Abrahamo patre, tanquam ex Deo, matreq; Sara (quæ noui teſtamenti, doctrinæ ſcilicet Euangelicæ Paulo dicitur pictura) natus, an non apertè vel hoc reſpectu fideles in Eccleſia repræſentauit, qui cum capite ſuo Chriſto velut vnum corpus, vnamq; perſonã conſtituunt. Hinc & is Iſaac, id eſt, riſus, Gen. 21. nominatur: quoniam hi lætum de gratia, fauoreq; erga ſe Dei nuncium audiunt, ex quo non poſſunt non ſummo, opere lætari. Sancti enim adhuc inchoati tantum noui teſtamenti tempore, carne Chriſti nondum ad patrem in ipſis profecti, tanquam amabili quodam vmbraculo proteguntur, ne peccati ſui fœditatem, & horribilem iræ diuinæ vim ipſi, puerculorum adhuc habiti loco, perferre cogantur. Illud enim ad menſuram ætatis in Chriſto virilis adultis reſeruatur. Interim hi ridere, iocariq; & gratiæ viuere, citra tamen impietatem, ratione temporis permittuntur: Attamen à profanis grauem ferre perſecutionem debent, vt ſanè ſubtiliter admodum ex eo collegit Apoſtolus, quòd Iſmael cum Iſaaco luſit.

Hoc ipſum in ſequente capite Gen. 22. manifeſtè quoq; pingitur. Pater enim Abrahamus

hamus

hamus à Deo tentatus, filiumq; ſuum dilectiſſimum in holocauſtum immolare iuſſus, cum ad locum ſibi diuinitus monſtratum exiſſet, ligna quidem filio, quibus is concremandus eſſet, impoſuit, ignem tamen & gladium adhuc ſuis portabat manibus. Quid hoc monuit? an non quiuis clarè ſatis intelligat, hic prædelineari primum ipſum Chriſtum, qui crucem ſuis humeris ad locum paſſionis ipſe geſtauit? & deinde ſimul quemuis ad Chriſtum inchoationis tempore verè conuerſum? omnis enim, Apoſtolo teſte, qui piè viuere volunt in Chriſto, perſecutionem vnà cum ipſo, pati coguntur. Quanquam hi, ſunt Iſaacus, ligna quidem ſuis humeris portant, hoc eſt, externum quidem in corpore cruciatum perſentiunt, ſed non ignem & gladium, hoc eſt, internam crucem, nempe, iudicium & iram Dei: verum hæc, in eorum gratiam, adhuc ipſe Deus fert, id eſt, patienter Deus tolerat illorum infirmitatem, nec adhuc ad perfectam ſui mortificationem (vt fieri ſub finem oportebit) illos adigit.

Cæterum quis eſt huius afflictionis finis? nempe Sancti non hoc modo prorſus intereunt, nec in mortem ita ſubmerguntur æternam, ſed carne quidem patiuntur, Spiritu verò coram Deo multo beatiores quoq; redduntur:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

tur: Sicut Iſaac, voce diuina liberatus, arietem quidem inter vepres hærentem immolari pro ſe videt, ipſe verò gratiſſimas à Deo promiſſiones audit: quod videlicet hinc certò certius ita poſteritas eius multiplicanda ſit, vt ea cum ſtellas in cœlo, tum & arenas in littore maris adæquet: vtq; prædominetur ſuis omnibus inimicis, & eorum portas, vrbeſue occupet: vt deniq; benedicantur in Semine ipſius omnes gentes terræ: non aliter & Chriſtus, eiuſq; membra, Sancti, cum crucem fideliter perferunt, haud multum, hinc læduntur: quanquam enim corporalem patiuntur mortem, quam inter mortales euitare nemo poteſt: at animæ ſuæ perpetuam hoc modo vitam acquirunt, & confeſſione ſua plurimis fidem in Chriſtum perſuadent, aut confirmant vt à veteribus dicebatur Martyrum ſanguinem eſſe fimum Eccleſiæ, quo ſcilicet ad fructum Deo proferendum ea fœcundaretur.

Nec inſuauior Eccleſiæ pictura eſt in hiſtoria de Iſaac etiam Gen. 24. quo ſcribitur Abrahamus, ad Sponſam ei quærendam, emittere ſeruum ſuum in *Meſopotamiam*: qui ſicuti ſuprà quoq; dictum eſt, Apoſtolos, eorumq; ſucceſſores, omnes videlicet pios, & fideles verbi diuini Miniſtros repræſentat admodum appoſitè, ſicuti Lectori vel mediocriter in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

ter in ſcripturis verſato facilè conſtare poteſt, vbi ſingula diligentius ibi perpendit. Eſt autem (vt nihil de cæteris plurimis circumſtantijs dicam) illic digniſſimum conſideratione, quod ſeruus Iſaaco Sponſam ſuam, ipſam Rebeccam, inuenit apud puteum, ſeu fontem aquarum: Siquidem in aquis etiam ſacra ſcriptura, ſeu verbum Dei (per quod ſolum Eccleſia Chriſto copulatur) adumbrari ſolet, eo quod laſſas, & arcana ſiti velut arefactas animas etiam hoc, non minus quam aqua corpus, reficiat, ac refocillet: hinc & poſteà, Gen. *29.* Iacob, & Exod. *2.* Moſes, apud puteos aquarum ſuas leguntur inueniſſe Sponſas eodem plane ſenſu, verum his abruptis, vlterius in Iſaaci picturis progrediamur.

Cap. *26.* quoq; viſus Iſaac ludere, ſeu iocari cum vxore ſua Rebecca, refert Chriſtum Eccleſiæ ſuæ ſummè beneuolum, & blandum eiuſq; petitiones clementer exaudientem, & ſæpe quoq; omnes eius aduerſarios euidenter punientem. Vnde mundo quoq; non obſtinato prorſus innoteſcere facile poteſt, quod Eccleſia ſit non ſoror modò, ſed & Sponſa Chriſti chariſſima, Cum autem hic Iſaaci familia ſcribitur, inter Philiſtinos peregrè agere, pulchrè depingit Eccleſiam in medio mundi,

ſeu

ſeu profanorum,non ſine periculo, conſtitutam: quæ tamen terram conſerit, incorruptibili ſcilicet Euangelij ſemine,reperitq; tantam eius, Deo benedicente, fœcunditatem, vt pro vno centum ea ſibi modios produxerit: vtq; ita, per Dei benedictionem, ipſe, quod Chriſti typus eſſet, auctus dicatur ouibus,& armentis famulisq; plurimis. Quamobrem tantus etiam euaſit, vt inuiderent ei Philiſtini. Quot enim ex gentibus,per Apoſtolos,& eorum ſucceſſores Chriſto nomen dederint, eumq; partim vera, partim ficta quoq; ſeu hypocritica fide coluerint, Eccleſiaſticæ docent hiſtoriæ: neq; tacent,quantopere multi gentium Imperatores id impedire, ſed fruſtrà conati ſint.

Maximè vero ſuam contra Chriſtum inuidiam aduerſarij declarant in puteis eius obſtruendis, hoc eſt, in obſcuranda vera doctrina. Primum autem dicuntur à Philiſtinis obſtructi putei,quos Abraham Pater Iſaaci foderat: quod intelligendum eſt de ſcriptúris Propheticis. Hos puteos terra obrutos arcanus Iſaac rurſus aperit, & eodem, quo dicti fuerunt antea, nomine vocat, dum diſcuſſis Phariſaicis nebulis, doctrinam Propheticam natiuo ſenſui ſuo reſtituit. Sed, quia noua quoq; per Chriſtum erant Eccleſiæ reuelanda myſteria, propterea additur,quod plures Iſaacus de

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

cus de nouo puteos, in quibus viuam inuenit aquam, effoderit: cæterum horum duobus vti per Philiſtinos tranquillè non potuit, adeoq; priorem appellauit calumniam, alterum obſtaculum, quia litem de his mouerant aduerſarij, nempe Philoſophi, & hæretici: Tertium demum, quia de eo nullus cum ipſo litigabat, nominauit latitudinem. Siquidem Eccleſiæ ciuibus tanta debet eſſe cum patientia, tum ſapientia, vt calumniæ maleuolorum, & violentiæ locum dare ſciant, velintq;: & vt nihil non agant, quò in pace ſalutem ſuam operari poſſint. Sic enim vera doctrina, ſuperatis aduerſarijs, maxjmè dilatabitur. Breuiter autem his indicari videtur, quod poſt hæreticorum calumniam, ac tyrannorum obſtaculum, ſeu perſecutionem ſuperatam, Eccleſiæ doctrina latiſſimè, nimirum in totum terrarum orbem, propaganda fuerit.

Atq; huc vſq; ſatis, ni fallor, ex Geneſi demonſtratum eſt, Iſaacum eſſe pulcherrimam cùm piorum in Eccleſia noui fœderis, tùm & ipſius Chriſti, fidelium omnium capitis, à S. ſancto propoſitam nobis imaginem: Sicut in coniuge eius, Rebecca, non minus quoq; iucunde, maximè cap. 24. depingi vidimus Eccleſiam Chriſti. Quapropter ad Iſaaci, Rebeccæq; liberos. Eſau ſcilicet, & Iacob iam progrediamur.

Quanquam

Quanquam autem de his apud Paulum aliosue Apoſtolos nihil tale, quale de Iſaaco, ſcriptum inuenimus (quia locus, ad Rom. 9. de eis nihil arcani profert) attamen, cùm tàm liberè de Iſaac, & Iſmaele, matribusq; eorum, Hagar & Sara, pronunciet Paulus, ipſorum hiſtoriam eſſe allegoricam, ſeu ἀλληγορουμένην vt arcane quoq; ſignificet aliquid verbis externis non expreſſum, aperteq; vocet Hagar quidem vetus teſtamentum, cuius filius, Iſmaelus depingat Iudæos carnales, & incredulos: Saram verò nouum teſtamentum, cui ſit natus Iſaac, nempe Chriſtus cúm ſuis membris, omnibus in Eccleſia fidelibus: dubitari nullo modo poteſt, quin & in Iſaaci filijs nimirum in Eſau, & Iacob, qui mox ipſi quoq; diuiduntur in duas diſtinctas gentes, omninò ſegregatio quædam eorum, qui ſunt in Eccleſia noui teſtamenti nimirum, inter ipſos iam Chriſtianos, cum omnium admiratione, futura depingatur.

Siquidem, ne fortè diceret aliquis audacior, arcani myſterij nihil in horum latere geſtis, ipſe Deus os ei manifeſtè præcluſit dum tot admirandis, & naturæ curſum excedentibus euentibus hiſtoriam eorum variare, nobisq; ceu diligentiſſimè perpendendam, commendare voluit. Quid enim? an non planè miraculoſum, & notatu digniſſimum eſt,

quòd in vtero materno gemelli colluctantur, quòd in partu plantam alterius alter manu ſua tenet? quod vbi nati ſunt, hic ſtatim rufus & hiſpidus totus,in morem pellis, ille glaber, apparet? Si nihil hæc ſignificant, cur fieri Deus, immò cur deſcribi quoq; tam accuratè voluit? Quid enim nobis deeſt, quòd Abrahami, quòd Iſaaci, Sanctorumq; aliorum innumerabilium non legimus in ſcripturis expreſſam natiuitatem, aut formam corporis? cur in ſolis his gemellis ea fuerunt exprimenda, niſi propter illuſtrem rei, cognitu neceſſariæ,tandem futuræ ſignificationem? præmiſſis his in eorum hiſtoria miraculis adijci poſſunt & ea, quæ ſcribuntur de rufo ferculo, deq; miranda benedictionis paternæ diſpenſatione, multisq; alijs aut euidentibus omninò picturis, aut alioqui planè ridiculis.

Cùm igitur horum gemellorum hiſtoriam Deus multo quoq; miraculoſius, quam patris eorum, Iſaaci, cum geri, tùm in ſcripto poſteritati relinqui voluerit, qui nihil in ea myſterij diuini ſcrutandum eſſe contenderit, is plus quam ſtupidus, aut certè malicioſus eſt. Siquidem, vt à Philoſophis rectè dicitur, quod natura, ſeu author naturæ Deus, nihil fruſtrà, vel non ad certum aliquem finem in rebus creatis produxerit: ita de Scriptura

quoq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

quoq;, & eius inſpiratore, Spiritu ſancto, nemo dubitet, quin omnia, quæ legenda nobis exhibet: vtilem contineant in ſe doctrinam, ac picturam.

Nec eſt vllo modo ſtatuendum, quod hi gemelli, quiſq; ſuam tantùm ſtirpem, ſeu poſteritatem carnalem, vt ille quidem Idumæorum gentem, hic verò priſcos Iſraelitas, & Iudæos, depinxerint. nam & hi populi, ſicut eorum conditores, Eſauus, & Iacob, adhuc rerum ſecuturarum typi fuerunt, vt ex pluribus locis apud prophetas aperte colligitur. Vnde Paulus etiam ait 2. Tim. 3. Quæcunq; ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Item. 1. Cor. 10, Omnia hæc in figuris contigerunt illis, ſcripta ſunt in commonefactionem noſtram, in quos termini ſæculorum inciderunt. Latius igitur haud dubiè Spiritus ſanctus etiam in his, quàm ad vetuſtos illos populos præfigurandos, reſpicit.

Forſan & hæc ad ætatem Chriſti, ſeu eius Apoſtolorum referes, non aliter, quam præmiſſam hiſtoriam de Abrahamo, Sara, Hagar, Iſaac & Iſmaelo: verum, nec id fieri poſſe, firmis his rationibus comprobatur. Primum, quia ſi tale quid rurſum in his præfiguratum eſſet, quod ad inchoationem Eccleſiæ ſpectaret, quando per Apoſtolorum prædicationem, inter Iudæos incredulos, &

Chriſtianos eſt exorta diſſenſio, tùm profectò non minus hæc iam olim enucleata, clareq; intellecta vulgaribus etiam in Eccleſia fidelibus eſſent, quàm illa ſunt: quæ de Iſaaco Paulus expoſuit. Sicut enim herbam deſcriptam, dum nondum coràm intuiti ſumus, qualis nam ſit, haud planè ſcimus: at in conſpectum ſemel nobis adductam facilius agnoſcimus: ita quoq; figuras ac typos omnes, vbi res in ijs prædelineatæ, tandem exhibitæ ſunt, pleneq; innotuerunt, quiuis facili negotio iam, non autem anteà, perſpicit, & quid moneant, intelligit. Sicut omnia, quæ de Chriſto, quatenus hic olim in carnem aduenit, prædicta, vel prædelineata fuerunt, plerisq; ſatis nunc aperta ſunt. At huic hiſtoriæ de Eſau & Iacob, ad arcanum ex ea ſenſum eruendum, nullus hactenus vel manum admouit, vel aliquid ſaltem veræ Lucis attulit: ideò dubium non eſt, quin etiam præfiguret aliquid in fine demum reuelandum, ſeu exhibendum.

Deinde, ſi rurſus in Eſau, & Iacob: idem quod in Iſmael, & in Iſaaco, præfiguraretur, Deus actum hic egiſſe videretur, quòd in ſapientiſſimum haud conuenit: non hoc tamen dico, quod liberum eſſe Spiritui ſancto non debuerit, rem vnam & eandem pluribus, ijſq; diuerſis illuſtrare ſubinde picturis: verùm, quod à Sapientia, grauitateq; diuina videatur

alienum

alienum,promiſſionem ſuam differre, vel etiam refringere nullam euidentem ob cauſam. Deus enim cum Abrahamo pactum inierat, quod ipſius poſteritatem eſſet habiturus pro populo ſuo: genuit autem Abrahamus primum & Iſmaelem, quem tamen à ſocietate ſui populi ſeiungi Deus voluit, idq; propter ſignificationem, quòd Iudæi carnales & increduli futuri non eſſent Eccleſiæ veræ membra: pactum verò ſuum idem renouauit Iſaaco: Sed cur & huius filium, Eſauum ſcilicet, non minus genuinum, quàm Iacobum, excepit, & reſpuit? cur obſecro? num vt rurſus idem, quod in Iſmaelo modo, depingeret? id neutiquam veriſimile eſt. Iacobi certè filios mox omnes duodecim in populi ſui numerum, excepto iam amplius nemine, coaptauit, atq; recepit.

Quin hinc (ſi diceretur & Eſauus Iudæorum eſſe typus) aliqua ſequeretur abſurditas, & ſenſus perplexio. Nam & ratio S. Pauli (qua decet in Iſaaco prædelineatos eſſe Chriſtianos, ac fideles Eccleſiæ nouæ ciues, qui Deo ſeruiunt in libertate Spiritus, eo quod is eſſet natus ex matre libera, non ſicut Iſmael, ex ancilla) nullius propemodum ſic redderetur valoris: quandoquidem & Eſau natus eſt ex matre libera, non minus, quàm frater eius Iacob, immò non minus etiam, quam pater eius

Iſaac, qui Chriſtum, & membra eius, Apoſtolo teſte, prædelineauit: quomodò igitur Eſau nunc populi ſeruilis eiuſdem, Iudaici videlicet, poterit haberi typus?

Præterea ſequeretur hinc & hoc abſurdum, quod vxor Iſaaci, Rebecca nimirum, in qua tàm apertè modò noui fœderis Eccleſiam depingi vidimus, hic non Eccleſiæ, ſed Synagogæ picturam intueri cogeremur: ſiquidem Eſauus, quem peperit, Iudæos incredulos repræſentaret: immò ſimul ea Synagogam, & Eccleſiam in eadem imagine (quoniam vt Eſaui, ſic & Iacobi mater fuit) neceſſario tum præfiguraſſe dicenda eſſet, quæ quia palàm abſurda ſunt, expoſitione, per quam inferrentur, æternæ Dei ſapientiæ velut maculam huiuſmodi, ne temere nos inurere quæramus.

At potius hanc Spiritui ſancto perfectiſſimæ ſapientiæ laudem attribuamus, quod in his tribus Patriarchis ordine pulchro totam Eccleſiam, ab initio eius ad finem vſq; progrediendo perfectiſſimè, ſapientiſſimeq; prædepingere voluerit. Quòd etiam eum præſtitiſſe, mox apertè, iuuante Deo, videbimus ex ipſo contextus vel ſimpliciſſimè reſerati filo, quaſi ſua ſponte, nobis in conſpectum proferri.

Quapropter vt Apoſtolus vetus teſtamentum (quod ad nouum præludij loco fuit)

eiusq;

eiuſq; populum, Iudæos videlicet, in Hagar & Iſmaelo, moxq; externam, ſeu rudem adhuc Eccleſiam, & primam noui fœderis inchoationem in Sara, filioq; eius, Iſaaco, ne dicam & in eius coniuge Rebecca, depictam eſſe grauibus verbis oſtendit: ita nos iam deinceps in Iſaaci Rebeccæq; liberis, Eſauo & Iacob, inquiramus, quid in hac ipſa Chriſtianorum Eccleſia ſub mundi finem, cum omnium admiratione, gerendum ſit, quando fideles excreſcent ad menſuram ætatis plenitudinis Chriſti; ſicuti conſummationem Eccleſiæ Paulus Eph. 4. nominat. Quod enim id in hac hiſtoria depingatur, patebit ex pluribus aſperſis ei circumſtantijs, & maximè quod ſolus inter Patriarchas Iſaacus alteri filiorum ſuorum tanta cum pompa benedictionem confert. Sed ad rem ipſam iam accedamus.

Primùm cùm Rebecca grauida facta ſentit colliſiones, ac pugnas in vtero ſuo, Geneſeos cap. 25. conſulentiq; oraculum ei diuinitus reſpondetur in hunc ſenſum: Duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo pòpuli à viſceribus tuis diuidentur, populusq; populo præualebit, & maior tandem ſeruiet minori, clarè ſignificatur, duo Chriſtianorum eſſe genera, nimirum & eorum, qui ſolo nomine, ſpecieq; externa contenti, literatenus tantũ verbũ Dei norunt, ac magnificiunt: & aliorum, qui ni-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

hil, niſi meram veritatem, & vnicam animi verè conuerſi pietatem inquirunt. Quales, ab initio quidem velut in vno matris vtero, gremioq; Eccleſiæ coniuncti fuere, licet non ſine graui colliſione. Semper enim & vera pietas mordet profanos, & profanitas multorum Sanctis acerba eſt, attamen in fine demùm ab vtero materno velut in lucem æditi, manifeſtè diuidentur in duas diſtinctas gentes, & populos euidenter à ſe inuicem diſcrepantes. Ac tum longè maior etiam inter eos exiſtet pugna, dum & profani grauius pios, quàm vnquàm anteà, perſequentur, & pij manſuetius illorum ferent ſæuitiam: quæ pugna tamen mirandum habebit exitum, vt ſcilicet qui perſequebatur, adeoq; maior, & ceu victor apparebat, ſubitò minor, nempe victus, & in triſtiſſimam ſeruitutem redactus oſtendatur: alter autem oppreſſus anteà, ſeu minor habitus, gloriosè tandem præter omnium expectationem, triumphet.

Hinc, vbi natiuitas horum Gemellorum apud Moſen exponitur his verbis: Et impleti ſunt dies eius (Rebeccæ ſcilicet) vt pareret, & ecce, Gemelli erant in vtero eius: & exijt prior totus rufus, & hiſpidus in morem pellis, & vocauerunt nomen eius Eſau: Deinde egreſſus eſt frater eius, & manus eius apprehenderat plantam Eſaui, quare vocatum etiam eſt nomen

men

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

men eius Iacob,id eſt,plantam apprehendens.
Obſeruandum hic initio, dum Eſauus in partu matris prior egreditur, quod litera reuelanda fuerit, curſumq; ſuum habere debuerit ante Spiritum, Notantur enim in Eſau literæ Sectatores. Atq; hi deſcribuntur, quod ſint, primum, toti rufi, quia nimirum ſecundum hominem, ſeu carnem tantùm affecti ſunt: Edom enim, rufus, & Adam, homo, ſunt voces apud hebræos cognatæ: Deinde Piloſi quoq; deſcribuntur, hoc eſt, non pauidi, mites, humiles, pauperesq; Spiritu, ſed in carne diuites & ſecuri, propriaq; iuſticia, & ſapientiâ, veluti, pilis quibuſdam pulchrè veſtiti. Nomen etiam Eſau (quod ſonat effector, ſeu operator, græcè, q. d. δραςήριος) indicat, hos profanos, hypocritas videlicet, plerunq; videri præſtantes homines, qui Regibus ac principibus, totiquè mundo vtiles eſſe poſſint, quia diſcunt Eccleſiæ ſapientiam ſaltem externam, neq; tamen per mortificationem ſui, mundo, carniq; renunciant, ſed maiore iam cum laude, ſucceſſuq;, ſub nomine celebratæ pietatis, ijs inſeruiunt.

Atq; hi cum ſatis diu ſuam in carne ſecuritatem, ac Dominium in Sanctos obtinuerint, iamq; apertè tandem omnibus fidelibus profanitas, maliciaq; eorum conſtare cœperit, hoc eſt, (vt clarius efferam) cum Antichriſtus

in Eccleſia manifeſtatus fuerit, ibi non poterit non ocyus carni, literæue abrogatæ ſubſtitui Spiritus, ipſaq; Eccleſiæ conſummatio. Sicut enim non diu poſt Eſauum naſcitur Iacob, ſed manu ſua plantam eius in natiuitate ſua tenet, ita poſtquam Antichriſtus in Eccleſia reuelatus fuerit, ne dubitemus, quin ſtatim ipſe Chriſtus Eccleſiam ſuam, ad Regnum æternum in ea conſtituendum, denuo ſit inuiſurus, & oſtenſa ſereniſſima ſua facie, luceq; b. conſummationis perfectam, glorioſam & beatam ſit effecturus: vt merito nunc nobis adhæc ſit perpetuo vigilandum.

Hinc vlterius Moſes eodem Geneſeos loco, nempe cap. 25. Gemellos hos allegoricè deſcribere pergit his verbis: Et creuerunt pueri, & factus eſt Eſau venandi peritus, & vir agri, ſed Iacob vir ſimplex, habitans, quieteue ſedens in tentorijs. Et Iſaacus amabat Eſauum quod venationes eſſent in ore eius: Et Ribca diligebat Iacobum.] En ſic vtriuſq; populi mores iam depingi clarius audimus, dum de Eſauo quidem dicitur, quod venator peritus, & agricola, vel in agro plerunq; verſans fuerit: qua loquendi figura notatur hypocritarum cura circa doctrinam externam, & quod homines in ſuam ſententiam docendo pertrahere (ſicuti periti venatores feras illaqueare, capereq;) ſciant. At Iacob eſt vir ſimplex, manſuetus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

ſuetus, immaculatus, perfectus, habraicè, תָם, non fraudulentus, non ſeductor (vt ab hoſtili mundo iudicatur :) non etiam hypocrita, vel profanus eſt, ſicut Eſau, ſed vero ſtudio Deum inquirit, & colit. Atq; huiuſmodi ſunt omnes renati : nec hi venationes, id eſt, externas doctrinas, ac diſputationes, verbaq; ſplendida, quibus multitudini placeant, nimium amant, vel exercent, ſed habitant, quieteq; ſedent in tentorijs, hoc eſt, intelligunt ſuam infirmitatem, periculum, breuem incolatum, adeoq; & intus in ſe manent, & operam dant, ne vitioſitas, ac hypocriſis aliqua reſideat in ipſorum corde, ſed vt illic omnia recta, puraq; & ſancta ſint : ſciunt ſibi veterem hominem eſſe mortificandum, & expurgandum, eiuſq; deſideria penitus immutari debere, ſicuti tentoria moueri de loco vno in alium ſolent: ideò manent intus in ſe, ſuoq; corde. Cum autē ſcribitur Iſaacus Eſauum potius, quàm Iacobum diligere, iudicium ſuperiorū in Eccleſia, qui magis ad externa reſpiciunt, in eo denotatur: vel indicatur ſaltem, hypocritas etiam à Chriſto magis dilectos, nempe maioribus ornatos videri donis, & ſucceſſibus. At Ribca, pios in priuata vita (tanquam fœmina) repræſentans, Iacobo, nimirum humilibus, & verè pijs magis eſt addicta.

Porrò quid vult illud rufum pulmentum,

primo-

primogenituraq; eo vendita? certè non carent & hæc myſterio: primùm enim in eo pulmento, ſeu ferculo ruſo depinguntur nobis omnia mundi bona, diuitiæ, voluptates, honores, &c. Sicut econtra primogenitura cœleſtes theſauros hic ſignificat. Innuitur igitur his, quòd mundi bona ſæpe quidem etiam pijs diuinitus affluant, ſed ijs hi cor ſuum nequaquam apponant: verùm vbi cœleſtia lucrandi ſpes offertur, libenter valedicant, carereq; ijs parati ſint, vnà cum pio Iacob: At Eſauus, qui profanorum (vt ſæpe diximus) eſt imago, ruſum hoc ferculum, id eſt, carnem, eiuſq; deſideria tàm inſana cupiditate quærit, & conſectatur, vt præ eius amore non inuitè primogenituram ſuam, nempe beatitudinem æternam ſibi quoq; promiſſam contemnat: ſicut oſtendit, cùm ait: En morior, & quo mihi primogenitura hæc? Sic & omnes in Eſauo depicti dicunt apud animum ſuum hoc à Paulo reprehenſum: Edamus & bibamus, quia cras moriemur, ac ſi poſt mortem nulla vita reſtaret. Quamobrem & poſtea nactus pulmentum Eſauus comedit & bibit, ſurrexitq; & abit, nihili faciens primogenituram. Sic planè faciunt omnes in Eccleſia, profani, felicitatem omnem in hoc ſæculo, licet verbis interdum id negent, re vera tamen conſtituunt, ac dum eo perfrui queunt, rectè omnia ſecum agi putant,

de vita

de vita æterna parum ſolliciti ſunt, peccata ſua rident, vel iactant etiam, nec vnquàm de pœnitentia agenda ſeriò cogitant. Quare meritò tandem hi quidem benedictione diuina priuantur, illi verò (nempè fideles, quorum typus eſt Iacob) ea gloriosè refocillantur: ſicuti cap. 27. paulo poſt allegoricè ſcribitur, ad quod nunc etiam, Deo iuuante, nobis progrediendum eſt.

Ac initio videamus illic id, quod Moſes de Iſaaco dicit his verbis: Iſaac ſenuerat, & caligabant oculi eius, ne videre poſſet. Nam ita clàm tempus deſcribit, quo promiſſam benedictionem, conferendamq; Eccleſiæ diuinitus conſummationem beatiſſimam expectare poſſimus: nempè, cùm Iſaacus non ſenex modo, ſed & præ ſenio cœcus inuenietur, hoc eſt, ſub mundi finem, cùm doctrina Chriſti ſic traditionibus humanis obſcurata erit, vt nullam amplius ex ea lucem, ac veritatem Eccleſia percipiat, nempe, cùm Antichriſtus in ea regnum ſibi firmiter conſtitutum habebit: en tùm impleri neceſſe eſt ea, quæ S. ſanctus in capite hoc ſubiunget: vt ſcilicet alteri filiorum Iſaac, hoc eſt, aliquibus in Eccleſia Chriſti, benedictio ſpiritualis conferatur. Sed Iſaacus vocat primum, non iuniorem filium ſuum, Iacobum, qui tamen ſolus benedictionem diuinam conſecuturus erat, ſed maiorem, Eſauum

ſcilicet,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

ſcilicet, emittit his verbis: Vides, quod ſenuerim, & ignorem diem mortis meæ, ſume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras & venare mihi venationem, & fac mihi fercula, quib. delector, & affer mihi, vt comedam, & benedicat tibi anima mea priuſquã moriar, &c.

Ac ſi diceret: O Eſaue maior fili, qui magis exteriùs nites, & habes in ore venationes, es eloquens, potes aduerſarijs veræ doctrinæ reſiſtere, potes Eccleſiam reformare, vides quam id ſit neceſſarium, cum verbi miniſterium corruptum, ſacramenta collapſa ſint: & cum dies Chriſti, mundiq; finis iam inſtet. Age igitur, præſta te virum, ſuccurre præſenti neceſſitati: repurga doctrinam, ſume tua arma, ſeu inſtrumenta, quibus vti gaudes, nempe pharetram, & arcum, para te ad bellum, ad certamina, pugnas, ac diſputationes contra feros, & obſtinatos homines, qui nolent ab erroribus craſſis recedere, ſagitta, conficeq; eos, exi foras in agrum, cura externum verbi miniſterium, vt illud iuxta ordinationem Chriſti reformetur, eiq; fiat quaſi cibus gratiſſimus: ita benedictionem æternam, nempe, iuxta Chriſti promiſſionem, accipies. In hunc modum paraphraſticè latius hic mellitiſſimus contextus illuſtrari poſſet.

At quid interim fit, dum Eſauus, obſequens patri, foràs egreditur, circaq; externa diſtractus, Miniſterium ornare quærit, & multas

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

velut in agro feras venatur, dum circuit mare & aridum, vt quam plurimos adducat proſelytos, qui foris in eandem cum Eccleſia doctrinam conſentiant, de ſe, ſuoq; expurgando corde nihil, aut parum admodum cogitans: nempe Rebecca mater, interim ſubornat Iacobum vt ipſe benedictionem alia via quærat: hoc eſt, aliqui de Phœbe diuinitus admonentur, Deo non approbari ſplendida verba, vel humanam in litera fiduciam, ſed internam tantum animi verè conuerſi pietatem. Quapropter & illam ſolam ſibi, ſuiſq; inquirendam ſtatuunt. Nam id innuitur planè Rebeccæ verbis ad Iacob, quibus hortatur eum, vt ad gregem eat, & inde ſumat duos hædulos caprarum bonos, neglectis agreſtibus feris, nimirum vt in ſe, ſuiq; cordis perluſtratione, ſeu examinatione ſeuera maneat: & vt ex copia Scripturarum domeſticarum, ac ſibi familiarium eligat duas pœnitentiæ veræ partes, contritionem ſcilicet, & fidem, vel arcanam ſui mortificationem, & nouæ vitæ deſiderium: aut certè (quod eodem tendit etiam) duplicem, Dei pariter ac proximi dilectionem: vt hinc doctrina conficiatur ſalutaris, & gratiſſima verè pijs qua lux b. conſummationis, ipſeq; Chriſti Spiritus tanquam lucifer, in cordibus eorum exoriatur: vtq; hac interna doctrina iam ſaltem paucos aliquot veræ pietatis doci-

les ad

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

les ad Spiritum Chriſti verè conuertere quæramus.

Verum Iacob initio facinus hoc aggredi timet, quod hirſuto fratri ſit admodum diſſimiles: quemadmodum & inter literam, ac Spiritum, interq; profanos hypocritas & verè ſanctos maximum ſanè diſcrimen eſt. Quare mater eum primum hortatur, vt ſuum conſilium, neglectis Iudicijs hominum, ſequatur: deinde glabris manibus, colloq; eius pelles hœdorum aſſuit, quo ſic illum piloſum aliquo modo referre videatur: quod clam indicat, fore neceſſarium pijs benedictionem hanc arcanam petituris, vt in externis ad mundi profani geſtus, à quibus animo prorſus abhorrent, ne nimium cito prodantur, initio ſaltem aliquantulum ſe componant. Deniq; veſtibus etiam Eſaui precioſis eum induit: quas in ciſta clauſas vt plurimum Eſau domi relinquebat & coram populo tantùm, vt eſſet ornatior, geſtabat: ſicut hypocritæ virtutes omnis generis, & morum honeſtatem, ſeu grauitatem in publico ferè tantum oſtentare ſolent. Eædem & à Sanctis, vbi doctrinam b. conſummationis euulgaturi ſunt, haudquaquàm negligi poterunt, licet hi ſimpliciores alioqui ſint animi, quam vt huiuſmodi fucum aut ornatum externum vllum ſua cauſa deſiderent.

Cum

Cum igitur ſic informatus Iacob coram Patre ſuo conſiſtit, vt benedictionem impetret ab eo, neceſſitate coactus etiam nomen ſuum immutat, ſeq; Eſauum profitetur, vt cogitemus quanta difficultas ibi pijs cum doctrina Spiritus in publicum aliquando prodituris futura ſit. Pater enim (qui cœtum gubernantium Eccleſiam hic repræſentat) anxie quærit ab eo, quis nam ſit: quin & manus, & collum eius palpat, anne forſan illis partibus Eſauo diſſimilis inueniri poſſit: Attamen, cùm omnia conuenire videt, præter vocem, ſeu genus doctrinæ (de quo nonnihil adhuc ſe dubitare ſignificat, dum ait: Manus quidem Eſau, ſed vox Iacob eſt &c.) tandem acquieſcens oblatum ab eo cibum accipit, comeditq;, & bibit. Qua re promittitur tacite, futurum tandem, vt publicè doctrina Spiritus à gubernatoribus recipiatur, proponaturq; in Eccleſia cum ſumma piorum lætitia ſimul, & ædificatione.

Quod ipſum & aliquanto clarius adhuc innuitur, cum Iſaacus filio ſuo Iacob, & ſanctæ pacis, & veræ dilectionis oſculum præbet, & arcana quæſitæ benedictionis verba pronunciat: In quibus hæc maximè quatuor Sanctis
in fine clàm promitti videntur, primùm, vt I.
admodum fragrantem, & efficacem de Spiritu Chriſti ſcientiam ibi percipiant. Deinde, vt II.
etiam in corde ſuo, veræ pietatis fructu, tan-

quam

quam frumento, vinoq; potentiſſimo fœcundentur: Tertio, vt profanorum Domini con-
III. ſtituantur, ſibiq; creaturas omnes denuò ſub-
IIII ieƈtas inueniant: Quartum, vt & alijs non duris, at qui bonæ voluntatis fuerint, benediƈtionem, & fœlicitatem veram ſua doƈtrina conferre poſſint. Atq; hæc vbi tandem Iacob, typus piorum, impetrauerit, en tùm demùm, cum fatuis virginibus veniet & Eſau, cœtusq; hypocritarum, ſed ianuam gratiæ diuinæ ſibi clauſam tùm inueniet. Quamobrem illic fruſtrà ſimul & amarè flebit, & horribili contra pios ira tumultuabitur: ſicut ille dicebat: Venient dies luƈtus patris mei, & occidam fratrem meum. Atq; hæc omnia ſi latius explicari poſſent, lucem b. conſummationis admodum illuſtrarent, ſed huius temporis anguſtia nos hic & pleriſq; nimiæ breuitati ſtudere cogit.

Porrò, quæ de geſtis Iacob in ſequentibus à Moſe ſcribuntur, non quidem exaƈtè picturam hanc eandem continuant (eam enim benediƈtio collata velut abſoluit) ſed tamen in Iacob & illorum pleraq; vel Spiritum ſanƈtum, vel cœtum eorum, quibus lux b. conſummationis affulſit, admodum graphicè delineant. nam & proximè ſequente cap. *28.* mox oſtenditur in eo, quid Sanƈtis ad benediƈtionem aſpirantibus obuenire debeat, dum

ille

ille ſtatim exul ob fratris iram, in peregrinam regionem fugere cogitur, & in itinere nullam inuenit quietem, ſed & noctu dormiturus, pro lecto molli, duros lapides capite ſuo ſubſternit & ſic illa miranda viſione de ſchala, per quam Angeli cœleſtes aſcendunt, ac deſcendunt & largiſſima Dei promiſſione reficitur.

Mox & cap. *29*, dum, itinere peracto, prope Haran, ad puteum ipſe quoq;, ſicut Iſaac prius, inuenit ſuam Sponſam, eſt imago ſancti Spiritus, vel certè Chriſti ſpiritualiter & glorioſe ſub finem patefaciendi. Depingit enim hic puteus doctrinam b. conſummationis. Quapropter etiam tres iuxta eum greges accumbunt, quia multiplicium Sectarum homines, illius participes eſſe poterunt: at lapis grandis eſt ſupra puteum, quem, antequam omnes congregati eſſent, nemo facile deuoluere poterat, nempe cœcitatem, & vitioſitatem humani cordis depingens: At Iacob vbi Sponſam ſuam futuram Rachelem videt, in eius gratiam illum deuoluit, ipſamq; oſculatur. Diligit autem Rachelem quidem admodum formoſam, ſed Liam tamen, ſororem eius, cui fluidi ſunt oculi, prius in vxorem accipere cogitur: ſicut pij viuificationem quidem, vtpote læticiam, vitam, & pacem, vnicè quærunt: attamen, priuſquam ea potiantur, multùm lachrymari, dolereq;, ac tentari debent.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

Porro cap. 32. typus eſt admodum inſignis, quomodo pij lucem Spiritus obtineant, dum Iacob, ibi rediens ex Meſopotamia fratrem ſuum, ipſum Eſau, maximè timet, prudenter diſponit familiam ſuam, Deum ardenter inuocat, luctatur tota nocte cum Angelo, benedictionem eius impetrat, in neruo fœmoris læditur, vt claudicet, Deiq; faciem ſibi denudatam & Solem exortum videt. Item cap. 33. Cum fratrem ſuum Eſauum tàm ſapienter ſimul & humiliter, præmiſſis ei muneribus, aliaq; humanitate placat. Nec aliter & cap. 35. cúm aſcenſurus in Bethel, i.e. in domũ Dei, nimirum ad lucem b. conſummationis, idola prius omnia tollit, ac terræ ſubtus Terebinthum infodit: amor enim, & fiducia creaturarum illuc haud aſportari poteſt. Vnde mox & Debora Ribcæ nutrix, ipſaq; Ribca, filium enixa Benoni ſimul & Beniamin, hoc eſt, doloris primum, & mox dexteræ filium appellandum in partu, magna cum triſticia viri, mortua eſt, &c.

Quæ quidem omnia digna ſane ſunt, vt latius explicentur, ſed nos tamen hic ea prolixius tractare non eſt neceſſe, quia propriè non ſpectant ad argumenti noſtri ſcopum, qui nobis hoc tempore propoſitus fuit: vt nimirum oſtenderemus, quomodo progreſſus Eccleſiæ ſit in hac trium Patriarcharum, Abrahæ, Iſaac,

& Ia-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

& Iacobi, cum filijs, fratribuſq; ipſorum hiſtoria prædepictus, quomodo videlicet ab initio ſuam Deus Eccleſiam, veluti triticum, paleis excretis, & magis magisq; paulatim amotis, expurget, ac tandem in fine puram omninò, perfectamq; ſit producturus quod vt in Iſmaele, Gen 21. ſic in Eſauo, cap. 27. pulcherrime, ni fallor, à Spiritu ſancto prædepingi vidimus.

Et quanquam illa figura nondum, plenè, fateor, exhibita eſt Eccleſiæ: quæ res eam adhuc obſcuriorem pleriſq; relinquit: de Eſauo tamen, quòd & nunc, accepto Patris mandato venatum foràs exierit (iuxta quod ſupra ſumus interpretati) coràm in Eccleſia cuiuis conſpicere quotidiè licet. Omnes enim, tametſi non vna, eademq; via, Scripturam externam, & fidei, puræq; doctrinæ confeſſionem vnicè curant, quaſi ſic benedictionem, & ſalutem æternam conſecuturi: De Iacob autem & eius quieta ſapientia pietateq; interna, parum (fateor) etiamnum audimus at ſperamus nihilominus populum illum pauperem, ſperantem in nomine Domini, quem reliquum Deus faciet in medio profanorum (vt prædictum eſt apud Prophetas) iam iam conſpiciendum in vertice Montium, ſeu religionum omnium, quæ de Chriſti nomine gloriantur, & exaltandum eſſe ſupra Sectarum colles: quoniam os Domini Zebaoth id locutum eſt. Nam, vt

fiat,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

fiat, iam tempus imminet, iam Regnum Dei præ foribus eſt, iudicium reuelatur, in quo ſeparandi ſunt ab ouibus, puniendiq; horribiliter omnes hirci.

Vos ô fideles, & veræ pietatis dociles id ſeriò cogitate: res & magni momenti eſt, & hoc temporis articulo gerenda: nunc Eſauus in agro, cum ſagittis & arcu ſuo fruſtrà diſcurrere cernitur: nos auide viam ocyus amplectamur, in qua benedictionem certò conſequi poſſimus: abſq; dilatione verè conuerti ſtudeamus ad Chriſti Spiritum, & veritatem internam, ac mortificemus veterem in nobis hominem, ita nequaquam noui luce diu deſtituendi. Te Deus æternæ Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti ſupplicetur obnixeque precamur, vt propter filium vnicè tibi dilectum in Spiritu ſancto tuo clemænter nobis, ad hoc perficiendum, gratiam, lucem, ſapientiam, & virtutem diuinam largiri digneris, ne poſthac miſerabiliter erremus aut vana ſequamur, ſed ea, quæ vere ſemper & ſola tibi placent, oculis in Luce tua iam apertis, cognoſcamus, amemus, inquiramus, & inueniamus, idq; in æternam tui nominis gloriam, noſtriq; omnium exædificationem, Amen.

DIXI.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]

839.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 839 8° [1,-518]